M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON LIBRI SEX.

In quibus M. Tullij Ciceronis omnia Paradoxa refelluntur.





APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVNI,
1546.

M. ANTONIVS MAIORAGIVS, ALCIATO MAGNO, S. P. D.

★



ARRO *tibi Alciate. Mihi certè proximè quadam in re videor insaniße: quæ fortaße tibi prorsus incredibilis & falsa videbitur, cùm tamen omnino vera sit: in qua, si tibi otium est, & si placet, suauiter licet, & iucundè rideas. Nam ego ille, quem noſti, tantus Ciceronis amator, qui Cælios, Merulas, Lucilios, non ita pridem magna in concione Mediolani de loco superiore condemnare non dubitaui, propterea quòd in Ciceronem meum hiscere nescio quid ausi fuerant, cùm otio nuper abundarem, quia Bartolos tuos, & Baldos, vt pote Barbaros homines, & litium tantùm amatores, nescio quàm sapienter contempseram, etiam ipse scribere tandem in Ciceronem aggressus, eius omnia Paradoxa, quæ pleriq;, vt sacrosancta venerantur, & religioni noſtræ maximè consentanea existimāt, subuertere conatus sum. Quid credis? hac mea quasi lusione quadam, experiri volui, quid poßit hominum contradicendi cupidorum improba loquacitas, & præclaré sanè intellexi, nihil eße*

tam verè, nihil tam sanctè dictum, quod non dicendo conuelli, labefactariq; poßit. Hoc planè modo Callicles in Gorgia Platonis multis verbis Philosophiam accusat: hoc modo apud eundem Platonem primo de Repub. Thrasymachus, secundo autem, & quidem multò fortius, Glauco iustitiam improbat, & iniustitiam ad cœlum laudibus effert. Hoc illud esse crediderim, quod in Progymnasmatis suis Theon ait à Simonide præceptum, vt in rebus omnibus ludamus, nihil autem in vita seriò agamus. Quamuis hoc (vt verum fatear) non consultò planè, ac dedita opera, sed casu potius quodã effecisse videri poßim. Cùm enim iampridem, nihil omnino scripsissem, & aliqua in re me hoc tempore exercere statuissem: ne quod in me facultatis est, si modò quid est, in dicẽdo penitus exaresceret. Eo animo quasi ludibundus disputationem hanc contra Ciceronis Paradoxa conscribere cœperã, vt exponendis rationibus, quæ contra dici posse viderentur, eas postea refellerem. Sed dicam uerè. Simile quiddam mihi euenit, quod plerisq; Philosophis, ac Theologis accidere solet: qui cùm arduas de Deo, ac de Animorum immortalitate quæstiones proposuerint, quas deinde soluere nesciant, incerti quò ferantur: tandem in Diagoræ Melij, & Theodori Cyrenaici opinionem delabuntur. Eodem ego ferè modo cùm adductas in Ciceronem à me rationes refellere

non

non possem, in eam statim discessi sententiam (vide quò nos cæcus rerum nostrarũ amor trahat) vt meas rationes veras, Paradoxa verò Ciceronis falsa crederem. Quapropter hac opinione ductus, quòd audaciã admireris, & præterea alicuius gloriolæ studio (cur enim vera non fatear?) etiam de edendis his ineptijs meis cogitare cœpi. Hãc enim veram esse nostri temporis Philosophiam video, vt quoniam noua fingere non possumus, vetera diruamus. Et cùm per nostra non possimus opera caput altius à terra tollere, saltem per aliorum ruinam emergamus. Quin etiam audacior eo factus sum, quoniam vir ingenio, doctrina, iudicio præstantissimus Bartolomeus Terrinus, itemq; maximus ille Ciceronis obseruator Riccius, meas has nugas nõ omnino malas esse pronuntiarunt: quas tum demum aliquid esse existimabo, si tu vir omnium, qui post homines natos floruere, præclarissimus, non dico id quod sperare fortassis iniquissimum est, approbaris. Sed quod, vt spero & opto, facies, non improbaris. vt enim nihil aliud hoc in opere assequar, ingenia certè multorum, ad hæc, quæ pulcherrima sunt, discutienda concitabo. Nam ex illa sacratissima Platonis officina multa sanè deprompsi, quæ non omnino legentibus ingrata fore confido. Totam autem disputationem, in trium dierum scholas, (vt Græci appellant) atq; in sex paruos libros quasi ludens in Dialogo conieci. Quod

opusculum sub tuo potißimum, Alciate, nomine apparere volui, non alia sanè de causa, nisi quia certum habeo, si vnum illud immortale nomen, quod apud eos etiam, qui procul ab omni literarum cognitione remoti sunt, celeberrimum ac sanctißimũ est, huic meæ lucubrationi præfulserit: fore, vt tunc demum ea gratior in hominũ manus perueniat. Quis enim magnum aliquid in eo libro non contineri putet, qui Alciato sit inscriptus? Quòd si deinde legentium spei, atq; expectationi non responderit, nihil inde nomini tuo detrimenti futurum est, sed erit quod ipsi potius se legentes accusare debeant, qui tam præclari nominis inscriptione capti, Ciceronem à me refelli posse temerè crediderint. Te verò, certò scio, quæ tua in me singularis est humanitas, atq; beneuolentia, & libentißimè hæc nostra perlecturum, & in locis etiam multis suauißimè risurum. Erunt etiam fortasse quædam, quæ tibi satis acutè disputata videbũtur. Quibus ex rebus fore spero, vt et totum volumen euoluendum tibi censeas, nec omnino id imperitiæ condemnes. Vale: meq;, vt facis, ama. Ferraria, Idibus Maijs. M. D. XLV.

M. AN.

M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON, SIVE SVBVRBANARVM QVAESTIONVM LIBRI SEX.

*

In quibus M. Tullij Ciceronis omnia Paradoxa refelluntur.



ETVS illa, atq; Socratica ratio, Alciate, cõtra alterius opinionem disserendi, maximè mihi semper placuit: semperq; digna uisa est, in qua se quisque plurimum exerceret. Ita enim facillimè quod verisimillimum esset, inueniri posse Socrates arbitrabatur. Quæ post eum Academicorum omnium, atq; etiam Peripateticorum consuetudo fuit, vt omnibus de rebus in vtranq; partem copiosè disputarent. Itaq; veterem hanc doctissimorum hominum

consuetudinem secutus, rem quidem arduam atq; difficilem, sed tamen dignam, in qua neruos omnes, atq; aciem mentis intenderem, nuper tentare non dubitaui: vt ea, quæ Græco nomine Paradoxa Ciceroni libuit inscribere, quæ de Stoicorum disciplina sumpta, Cicero ipse voluit, oratorijs ornamentis adhibitis, pertractare: ego multis sanè rationibus, atq; argumentis cùm à Platone, tum etiam ab Aristotele sumptis, refutare contenderem, qua in re nō omnino lusisse operam videri possem, nisi grauißimum nobis Ciceronis nomen obijceretur. Sed hoc sanè neq; contra Ciceronem esse, neq; eius grauitati quicquam detrahere, facile quiuis intelligere potest, si quæ ipse de Stoicorum sententia vera esse docere voluit, ego contra de sententia Platonis, non esse vera docuero. Tu igitur hoc tempore, cùm plublicis negotijs vacuus sis, audies (vt opinor) libentißimè, quæ duos abhinc annos omnium ingeniosißimi adolescentes, me præsente de Ciceronis Paradoxis disputarint. Cùm enim ex veteri, atq; vsitata, consuetudine quietem tandem, & uocationē à publico docēdi munere, quod annos quatuor Mediolani, non parua sanè cum auditorum frequentia sustinui, Calendis Sextilibus impetrassem: eo ipso die, dimissa concione, cùm hora diei fere secunda esset, relaxandi animi gratia cum tribus concordißimis fratribus, ex Comitū familia, consobrinis meis, me in amœnißim

nißimum quoddam ſuburbanũ conferre ſtatui: cumq́; nos in viam omnes vnà dediſsemus, nuntiatum eſt nobis ab Adoleſcente quodam, ex auditorum numero, veniſſe eodem paulò antè diſcipulum meum M. Fannianum cum Lancilloto patre ſuo, clarißimo atq; honeſtißimo viro: nam prædium illud Donatus Fannianus, Lancilloti frater, non ita pridem magno ſanè pretio coëmerat, & iam magnificis atq; pulcherrimis ædificijs exornarat. Mihi autẽ propter ſummam neceßitudinem, quæ cum tota illa honeßima Fannianorũ familia ab ineunte ætate interceſſerat, ſiue præſentes ipſi adeſſent, ſiue abeſſent, liberè ſemper omnia patebant. Itaq; licet in eum locum, non vt Fannianorum aliquem inuiſerem, ſed eo tantum animo concedere ſtatuiſſem, vt ex maximis calorbus, non enim maiores memini, ſumma cum amœnitate loci me reficerem. Tamen vt primùm Marcum meum ibi eſſe audiui, quem multis iam diebus propter eius ruſticationes non videram, equidem maiorem in modum lætatus ſum, vt omnem ſtatim moleſtiam, quam ex anni grauißimo tempore, atq; ex diutino labore contraxeram, ille mihi nuntius ademerit. Etenim is eſt adoleſcens, & omnium ingenuarũ artium ſtudijs mirificè deditus, & oratione maximè ſuauis, & præterea ita moratus, vt præ ſe probitatem quandam, & ingenuitatem ferat: quem quidem ego propter maximas

eius ingenij suauitates, à prima pueritia mirandum semper in modum amaui. Is igitur vt primum me aduenisse cum Primo, Antonio, Francisco, consobrinis meis audiuit: confestim quasi præ lætitia gestiens, ad me ire perrexit. Qui cùm maximè hilari uultu me, atq; socios consalutasset, atq;, vt amicorum mos est, complexus fuisset, in proximam cœnationem discessimus. Tũc ego, Quàm me iuuat, inquam, Marce suauißime, huc hodie venisse, postquam te, quem omniũ maximé diligo, præter spem, atq; opinionem hoc in regno vestro reperi: putabam enim te hoc tempore in Cerriano tuo, aut canibus lepores atq; capreolos, aut accipitre perdicũ pullos atq; coturnices insectari. Vt verò tam propè ad vrbem, his præsertim diebus, accederes, nunquam omnino fore credidissem. Quid, inquit ille, an me consuetudinis tuæ oblitum putas? qui cùm primum publici muneris vacationem habere potes, in aliquam te villam procul ab vrbe cum amicis ad te colligendum conferre soles, qua in rusticatione semper aliquod tuis studijs dignißimum elucubraris: sicut anno superiore, cùm in Carellianum huius Primi tui, atq; fratrum, te contulisses, quinq; & viginti diebus (vt mihi Antonius iste consobrinus tuus iuratus dixit) quinque & viginti decisiones illas perfecisti, quibus Ciceronem à Cælij Calcagnini criminationibus liberasti. Quod quidem opusculum tuum cùm

proxi

proximè perlegissem, & vehementer mihi placuisset, statim venit in mentem quiddam hoc tempore à te petere, quod mihi te non denegaturum confido. Atq; hoc sanè potissimum in causa fuit, vt ad vrbem propius accederem, (nam hodie vesperi in vrbem ad te venire decreueram) vt te, si quo modo fieri posset, in Cerrianum meum adducerem, & ociosè, de quibus vellem, tecum ibi colloquerer. Nam si aduentum ad te meum distulissem, verebar, ne aliquò prius proficiscereris, quàm ego voti mei compos fierem. Bene, inquam ego, narras Marce: cras enim vnà omnes in Carellianum discedere cōstituimus. Quare siquid est, quod me velis, hodie tibi operam meam polliceor, & defero. Minimè verò, inquit ille: nam si me tātum amas, quantum aut certè amas, aut perbelle simulas, vel in Cerrianum meum cum socijs istis tuis venies: vel si id per aliqua tibi negotia nō licet, hoc in nostro suburbano triduum saltem nobiscum moraberis: neq; enim citius possum, quod à te volo, percipere: nec si possem, citius vellem. Nam tua mihi certè iucundissima consuetudine frui, tres saltem hosce dies, magnopere desydero. Age age, inquit Primus, cōcede hoc Maioragi Fanniano tuo, quod & ipse non sine causa, vt videtur, exoptat: & tu non satis iustè, cùm negotijs vacuus sis, recusare potes: sed ea lege, vt cùm primum in Cerrianum suum ad venationes redierit, te

prædæ

prædæ participem faciat. Et libentißimè quidem, inquit Marcus, ita mihi Delia faueat, vt Minerua tibi Prime, quæ te omnes ingenuas artes edocuit. Hîc omnes ad hilaritatem conuersi subridere cœperunt, & me rogare, vt Marco meo, præsertim in petitione tam honesta, obsequi vellem. Itaq; cùm me nihil recusando proficere posse intelligerem, nisi parum comis atq; humanus videri vellem, dixi me in eorum potestate futurum, modò statim Marcus id explicaret, quod à me se tantopere desyderare prius dixerat.

Quid credis, inquit Marcus, res quædam inanis tibi fortasse videbitur, quippe qui Ciceronem magis quàm te ipsum amas, & ab eo ne latum quidem (vt aiunt) vnguem in re vlla discedere potes: dicam tamen quid sit id, de quo dubitem, vt aliquid ex te more solito discam. Proximis diebus eas Ciceronis declamatiunculas legi, quæ Græco uocabulo Paradoxa inscribuntur, quæ quidem Cicero se ait eò libentius scripsisse, quòd sibi uiderentur esse maximè Socratica, longeq; verißima. Nam pluribus in locis horum Paradoxorum Socratem laudat autorem, vultq; ea Stoicos à Socrate accepisse, vt in tertio Tusculanarum ait, Socratem existimasse, Omnem animi commotionem esse insaniam. Et non ita multò pòst ait, quòd à Socrate acceptum diligenter stoici retinuerunt, Omnes insipientes esse non sanos. Et in quarto Tuscul. ait Stoi-

eos idem dicere quod Socrates, ſed alio modo. Et in quinto ait, apud Platonem à Socrate nihil præter virtutem bonum iudicari, & Vitam beatam in vna virtute poni. Mihi autem hæc, vt ingenuè fatear, neq; vera, neq; Socratica videntur: & quod maius eſt, etiam à Socratis atque Platonis diſciplina plurimum abhorrere, neq; cum religione noſtra vllo modo poſſe conuenire. Velim igitur, vt his diebus hoc me errore, ſi modo error eſt, liberares: & Ciceronem Socratico more, atq; verè diſputaſſe oſtenderes. Quod te facilè facere poſſe exiſtimo: quippe qui & Platonis ſtudioſus ſis, & verum à falſo diſtinguere ſcias, quoniam Dialecticam profiteris. Quo tandem hos inquam, modo fieri poteſt, vt aliquid à Socratica diſciplina atq; à veritate alienũ Cicero docuerit? cùm & vnum ex omnibus Philoſophis Platonem, quod ſatis ex eius ſcriptis apparet, plurimi fecerit: vt veriſimile ſit, ipſum & Platonis, & Socratis ſententias quàm optimè tenuiſſe, & res illæ, quæ in Paradoxis diſputantur, veriſſimæ mihi videantur. Quòd autem à noſtra religione diſſideant, quamuis hoc minimè mirum videri deberet, quia Cicero Chriſtianus eſſe non potuit: tamen ego, quomodo diſcrepent, non ſanè video: quin potius interdum Ethnicum (vt noſtri vocant) hominem tam Chriſtianè locutum fuiſſe, mirari magnopere ſoleo. Quomodocunque hoc ſit, inquit ille, nihil

nihil de nostra religione meminero, quoniam ab hoc vinculo Ciceronem absoluis. Tu, quæso, proba mihi, Socratica & vera esse, quæ in Paradoxis à Cicerone scripta sunt: quoniam vtrunq; Ciceroni videtur, mihi uerò neutrum. Namq; ego (vt initiò dixi) & falsa, & à Socratica doctrina remota, quæcunq; ibi dicta sunt, existimo. Ridiculum uerò, inquam ego, perinde quasi mihi necesse sit, aut conueniat id probare, quod tu nullis rationibus improbas. Hoccine illud est, quod à me tantopere desyderabas, vt ea tibi probarem, quæ à nullo sunt hactenus improbata? Fac vt rationes tuas, atq; argumenta audiam: deinde si ocium fuerit, aut si placuerit, eis respondebo, atq; Ciceronis sententiam defendam. Nunc planè, inquit ille, me circumuentum, atq; deprehensum video: te enim sperabam pro tuo Cicerone causam hanc libentißimè suscepturum: vt ea vera esse, quæ dicit, ostēderes, etiam si nullas ego rationes afferre possem, cur falsa esse existimarem: atq; ita putabam fore, vt à te tridui disputationem hac ratione elicerem: video enim campum esse dicendi latißimum, si quis ea omnia, quæ in Paradoxis à Cicerone disputantur esse Socratica, & vera, probare contendat. Hoc est, quod à te desyderabam: tu verò statim à me contra Ciceronem argumenta quæris, neq; aliter videris eius sententiam velle defendere: quæ res nullo modo mihi planè satisfacit. Nā

si Cicer

si Ciceronem aliquibus argumẽtis impugnare voluero, vt tecum congrediar oportet, cui ne in verißima quidem, atque in certißima causa par esse vllo modo possum: nedum in hac, in qua licet mihi Ciceronẽ falli quasi certum atque exploratum sit: multa tamen ad eius sententiam defendendam, ab homine præsertim Dialectico, (qua in facultate tu plurimum vales) excogitari verisimilia possunt. Itaq; si me oppugnante, atq; accusante, tu defendẽdum Ciceronem susceperis, me planè oleum (quod aiunt) & operam perditurum video: nam te pro illo, tanquam pro aris & focis, certaturum esse certò scio. neque omnino curaturum, vtrum falsa, an vera fuerint quæ dixeris, modò Ciceronem tuum tutari, atq; defendere poßis. Hic ego subridens, O Marce, inquam, tu fortasse me Sophistam aliquem esse putas, & fallacium conclusionũ captatorem: qui, quod aiunt vulgò, in nigrum candida conuertere poßim, & efficere, vt quæ falsa est oratio, verißima esse videatur: qualem in Nebulis Aristophanes Poëta Socratem, quamuis mehercle immeritò depingit. Fuit enim vir ille, quantum ex Historia colligi potest, vir bonus, & simplicis veritatis amicus, fraudis verò inimicus: neq; reliquorum Græcorum similis, quos ait Cicero contentionis cupidiores esse, quàm veritatis. Talem igitur me esse puta, nõ qui velim & iure, & iniuria Ciceronem defendere: sed

cui

cui nihil ſit veritatis luce dulcius, atque iucundius. Nam, vt Ariſtotelis dictum illud vſurpem, Amicus qnidem Plato, ſed rebus omnibus veritatem antepo-nere decet. Huc accedit, quòd ſi vera ſint, quæ di-cturus es, nihil eſt quod verearis, ne coner ea refelle-re. Neq; enim præſente hoc grauiſsimo, atq; integer-rimo viro, Primo Comite, atq; eius doctiſsimis fratri-bus Antonio, & Franciſco, veritatem impugnando videri ego impudens velim. Deinde non te latet, ve-riſsimum id eſſe, quod ait Cicero, Magnam vim eſſe veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, facile ſe per ſe ipſam defendat. Quãobrem audacter contra Ciceronem quicquid volueris per me dicas licet: nam ea lege tibi meam aſtringo fidem, qua apud Terentium Thaidi Parmeno:

Quæ vera audiui taceo, & contineo optimè.
Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuò palàm eſt.
Plenus rimarum ſum, hac atq; illac perfluo.
Proin tu taceri ſi vis, vera dicito.

Eodẽ modo tu, mi Marce, niſi refelli vis, vera dicito. Nam apud me plus vera ratio valebit, quàm Cicero-nis opinio. Modò ita ſit, inquit ille, nam illud me primum mordet, quòd me Thaidi compararis: perinde quaſi, vt illa ſuum amatorem Phædriam, ſic ego te Ciceronis amatorem decipere velim. Deinde non ſine

cauſa

causa scio, cæcum à Poëtis amorem fingi solere: Quoniam nos amor recto iudicio spoliare plerunque solet. Vnde (quemadmodum rectè ait Theocritus) sæpenumero fit, vt præ amore, quæ minimè pulchra sunt, pulcherrima videantur. Vt enim cæci colores percipere non possunt, ita neq; amatores ueritatem. Verùm hoc perquam sanè commodè accidit, quòd te cùm hos tuos consobrinos eduxeris: qui quamuis te maiorem in modum ament, attamen eos spero pro veritate contra Ciceronem mihi, tanquam tres Hercules vni Theseo, auxiliatores fore: cùm præsertim hac in re neq; de dignitate tua, neq; de fortunis agatur. Etiam me ipsum, inquam ego, tanquam Iolaum auxiliatorem assumas licet, modò pro veritate contendas. Sed age, iam ad istam tandem disputationem aggredere, vt videamus, quæ sint ista tua, quæ dicturus es, Antiparadoxa, quibus Ciceronem, tanquam Antheum Hercules quidam, prosternas. Faciam verò, inquit ille, tuo iussu libentißimè, quod antea mea sponte facturus neutiquam fueram. Sed, si placet, in proximos hortos concedamus, vbi in opaco aliquo, atque frigido loco, vel inambulantes, vel si magis visum fuerit considentes, de his rebus inter nos ociosè colloquemur, donec nos ad prandium famuli reuocent. Hîc omnes consurreximus, & amœnißimos hortos, qui pulcherrimum illud ædificium attingunt, ingreßi, ad partem eorum

quandam, herbescentis plenam viriditatis, quam frequentes arbores, patulis diffusæ ramis opacabant, vbi nos tenuis quædam leniter afflabat aura, deuenimus. Atque hîc, inquit Primus, optimè philosophabimur, cœpitq; locum ad sessionem commodum sibi prospicere: cùm statim è Marci familia serui quidam accurrentes puluinos omnibus apposuerunt. Tum Marcus cùm ad eum audiēdum nos erectos omnes aduertisset, Incredibile est, inquit, quantopere animū meum commotum esse sentiam, postquam in tali præsertim causa, mihi perpetuam habendam esse orationem intellexi: neq; vnquam ad hanc disputationem descendissem, si quisquam alius præter vos quos mihi omnes amicissimos esse intelligo præsens adesset. Verùm cùm ea vos omnes modestia præditos esse sciam, vt quicquid à me dictum fuerit, in meliorem sitis partem accepturi, non dubitabo coràm vobis quid sentiam explicare: cùm præsertim hæc non impugnandi Ciceronis studio dicturus sim, sed tantùm vt exponendis rationibus, quæ me in contrariam opinionem trahunt, à Maioragio (si modo relicta Ciceronis autoritate, verè ac liberè pronuntiare voluerit) harum rerum vel veritatem, vel aliquam saltem veri similitudinem eliciam. Iam igitur cum bona omnium venia ad Ciceronis Paradoxa discutiēda venio: ac primùm illud, quod initiò sibi disputandum proponit, quale sit videamus,

deamus, Solùm id esse bonum quod honestum. Hoc certè mihi, contra Ciceronis sententiam, neq; Socraticum esse videtur, neq; verum. Mitto hoc in loco quærere, quibus id Cicero rationibus approbet: nam non ita multò pòst apertissimè, vt ego quidem spero, declarabo, nullum esse in hoc toto capite argumentum, quod acutè conclusum esse videatur. Nunc vt totius disputationis meæ ratio constet, faciam quod ab eruditissimis hominibus fieri sæpissimè animaduerti, vt causam eam, quam agunt, initio partiantur, deinde sigillatim partes omnes pertractēt. Rectè enim habita in causa partitio, quemadmodum ait Cicero, illustrem, & perspicuam totam efficit orationem. Primum igitur mihi videtur ostendendum esse, Paradoxon hoc non esse Socraticum: deinde, non esse verum: tum, Ciceronis argumenta non esse necessariò consequentia, neq; rectè conclusa. Quantum enim ego per ætatem, quam videtis, euoluendis Platonis Dialogis, Socratis sententiam indagare potui, intellexi, tria potissimùm esse, quæ Socrates bona soleat appellare: & licet ab eodem multa alia bona nominentur, tamen ad hæc tria, quæ dicturus sum, omnia reliqua deduci facilè possunt. Nam quæcunque ad humanæ vitæ cultum, atq; dignitatem, accommodata sunt, bona Socrates appellat, quæ Vtilia nominantur: & quæcunq; ad vitam bonis moribus instituendam, atq; ad exornan-

dum animum attinent, quæ Honesta dicuntur: & denique quorum gratia reliqua omnia parari, atq; acquiri solent, quæ vno Felicitatis atq; Sapientiæ nomine compræhenduntur. Est igitur celebrata à Platone, siue à Socrate (nam in ijs, quæ ad mores spectant, Socratem vbiq; ferè Plato sequitur) Bonitatis ratio triplex: vna, quæ ad Vtilitatem tantùm pertinet: altera, quæ ad Honestatem: tertia, quæ ad Felicitatem.

Quare Bonum à Socrate, tanquam genus quoddam ponitur, sub quo tres diuersæ formæ, siue species continentur: Vtile, Honestum, Finis. Quamuis Bonum nequaquam propriè genus dici potest: nomen etenim est eiusmodi, qualia Dialectici Homonyma vel potius Analoga nuncupant. Nam tres illæ, quas diximus, Bonorum species, nomine tantum inter se, non etiam ratione, atq; definitione conueniunt. Alia est enim Vtilitatis, alia Honestatis, alia Finis siue Felicitatis ratio. Nam finis ipse bonorum omnium, quæ Felicitas est, solùm verè atq; propriè bonum appellatur. Vtile verò, atq; Honestum non primo, ac per se, sed proportione tantum, atq; comparatione ad finem facta, bona nuncupantur. Semper enim Vtilitas ad Honestatem, Honestas ad Felicitatem referri debet. Hæc igitur, quæ proposui, Socratis ipsius, hoc est Platonis, apud quem Socrates disputat, auctoritate comprobanda sunt. Ac primò quidem ea quæ sunt

vtilia, ab ipſo Socrate bona nominari, declarat illud in Hipparcho, quòd multis rationibus Lucrum eſſe bonum oſtendit, atq; concludit: non alia ſanè de cauſa, niſi quia ſit vtile. Et cùm in eodem Dialogo mortales omnes quod bonum eſt appetere probare contendat: non aliud certè, quàm quod vtile videtur, intelligit. Non enim omnes honeſtatem, ſed pleriq; potius vtilitatem ſequuntur. In decimo autem de Repub. libro, bonum id eſſe ait, quod ſeruat, et iuuat: quod idem eſſe, ac ſi diceret, quod vtile eſt, quis non intelligit? De legibus primò, cùm duplicia bona eſſe dixiſſet, Diuina & Humana: in humanis bonis Sanitatem, Robur, Diuitias commemorat, quæ certè bona non ad honeſtatem, ſed ad vtilitatem pertinent. In Euthydemo, eodem modo Sanitatem & Diuitias in bonis refert. In Gorgia, Voluptates eas bonas eſſe dicit, quæ vtiles ſunt. Sed quid exemplis opus eſt? quæ penè ſunt innumerabilia: vt mihi veniat in mentem valde mirari, quo pacto factum ſit, vt in re tam clara Cicero deceptus eſſe videatur. Quòd autem ea quæ ad bonos mores attinent, quæ Honeſta dicuntur, à Socrate bona vocentur, nihil opus eſt approbare, quoniam hoc maximè perſpicuum eſt. Quin etiam hanc ſolam erroris cauſam Ciceroni fuiſſe facilè crediderim, quòd multis in locis apud Platonē legerat, idem eſſe Honeſtum quod Bonum. Itaq; putauit hoc etiam viciſſim retro

commeare, atq; conuerti, vt quemadmodum quicquid honestum, id etiam bonum est: ita vicißim quicquid est bonum, etiam honestum sit. Quod omnino falsum est: multa enim bona sunt, quæ tamen nequaquam rectè honesta dici possunt. Quoniam, vt ostendere cœpimus, Bonum tanquam genus quoddam est, quod hæc tria complectitur, Vtile, Honestum, Finem. Et de his omnibus Bonum rectè dicitur, quoniam semper genus dicitur in formis suis, non autē contrà: neq; enim rectè de genere formam dices: vt quoniā Coloratum genus est, Candidum species: ita rectißimè dicere poteris, Quidquid candidum, id etiam coloratum est. Quòd si dictionem hanc ita commutes, Quidquid coloratum, id etiam candidum est: id non tantum falsò, sed etiam imperitè, atq; ineptè facias. Quid autem hoc Ciceronis ab illo differt? Quidquid honestum est, id etiam bonum: hoc verè dicitur. Sed si cōmutes, falsum erit: non enim quicquid bonum, id etiam honestum: quod non aduertisse videtur Cicero. Quare quod in Alcibiade primò probare nititur Socrates, quòd nihil sit honestum, quin idem etiam bonum: id omnino verißimum est, quamuis aliter imperita multitudo censeat. Vt, pro patria mori, esse decorum, atq; honestum, fortasse concedent omnes: sed idem etiam bonum esse pleriq; negant. Quoniam quod corpori detrimentum affert, id neutiquam in bonis numerandum esse censent.

ſent. Hoc eſt igitur, quod ibi Socrates Alcibiadi probare cõtendit: Nempe nullam omnino rem honeſtam eſſe, quæ non eadem etiam bona ſit. Quod Alcibiades, vt imperiti ſolent, primò pernegabat: nam vulnera, & mortem, etiam ſi pro patria perferrentur, tamen in malis eſſe ſtatuebat. Sed tamen poſtea veris à Socrate rationibus victus, Honeſtam mortem eſſe bonam concedit. Quod autem Bonum etiam pro fine, ſeu felicitate capiatur, manifeſtiſsimè Socrates in Philebo declarat, quo in Dialogo Bonum ita definit, vt id eſſe dicat, cuius gratia fiunt alia omnia: quod longè apertius in Gorgia, his quidem verbis idem Socrates oſtendit: Bonorum gratia agenda ſunt omnia: atq; hic eſt finis omnium actionum, ipſum ſcilicet bonum, cuius gratia cætera omnia facienda ſunt: nõ autem ipſum gratia reliquorum. Iam igitur profectò videtis, verum id eſſe, quod ſuperius affirmaui: nempe à Socrate & quod vtile, & quod honeſtum, & quod reliquorum extremum atq; finis eſt, quò referuntur, & cuius cauſa ſunt facienda omnia, Bonum appellari. Sed nemini dubium eſſe poteſt, quin reliquorum omnium bonorum, finis ipſe præſtantiſsimus ſit, quoniam ipſius gratia reliqua ſunt expetẽda. Quamobrem non modò non verum eſt quod ait Cicero, Honeſtum quod ſit, id eſſe ſolum bonum, ſed ne ſummum quidem bonum eſt, quod honeſtum. Id enim, gratia

cuius alia requiruntur, vt cæteris omnibus excellentius sit oportet: sed propter finem virtus, atq; honestas, reliquaq́; omnia, quæ bona vocantur, acquiri solent. Est ergo Finis, ipsa honestate longè præstantius bonum. Sed vt longè clarius etiam, atque manifestius appareat, neq; Platonis, neq; Socratis hanc fuisse sententiam, Id solùm bonum esse, quod honestum: tria vobis loca recitare constitui, quæ apud Platonem proximè annotaui: in quibus diuerso quodam ordine bonorum distinctio perficitur. Primus est in libro de legibus primo: secundus est in Euthydemo: tertius in Philebo. Igitur in primo de legibus libro sic ait sub Atheniensis hospitis persona Plato: Duplicia bona suut: alia Humana, Diuina alia: dependentq́; à diuinis humana. Siqua verò ciuitas maiora suscepit, minora quoq; possidet: sin autem illis caret, vtrisq; priuatur. Minorum primum est Sanitas, Forma secundum, tertium Vires ad cursum, cæterosq́; corporis motus, quartum Diuitiæ, quæ cæcæ neutiquam sunt, sed acutè cernunt, si Prudentiam sequantur: quæ quidē Prudentia diuinorum bonorum dux prima existit: deinde post mentem Temperatus animi habitus, ex his duobus cum Fortitudine mixtis Iustitia tertiò emergit: Fortitudo quartum tenet locum, quæ omnia humanis illis natura præponuntur. Quare oportet vt legū quoq; lator hunc ordinem sequatur, & mandet omnibus, vt

semper

ſemper ad hæc reſpicientes in ſingulis rebus operentur. Humana enim ad diuina, diuina verò ad mentem principem referenda. Hactenus hoſpes ille Athenienſis. Ipſius verò Socratis in Euthydemo quæ ſint verba, quæſo percipite: ſic enim facillimè intelligetis, quid ipſe de bonorum diſtinctione Socrates ſenſerit: nam eo in loco Cliniam Axiochi filium, hoc modo interrogat. Quis eſt omnium, qui bene viuere non cupiat? Nemo, inquit. Age, inquam, poſtquam benè viuere volumus, quo pacto id aſſequi licet? an non ſi bona multa nobis adſint? Non'ne ineptus eſſet, ſiquis hoc negaret? hoc enim perſpicuum eſt. Perſpicuum, inquit. Bona verò ex omni rerum genere quænam ſunt, inquam? an fortè neq; id arduum eſt inuentu, neq; eleganti homini dubitandum? quis eſt enim qui neget eſſe bonum diuitias, atq; diuitem eſſe? an non ita eſt? Maximè, inquit. An non & ſanũ eſſe, inquam, & pulchrum, cæteriſq; corporis ornamentis præditum? Certè, inquit. Quin etiam nobilitas, inquam, potentia, & in ſua cuiq; ciuitate honores ſunt boni? Et iſta, inquit. Quæ præterea bona, inquam, reſtant, ſi dixerimus Temperantiam, Iuſtitiam, Fortitudinem eſſe bona, nunquid rectè dicemus? dubitet enim fortè quiſpiã: tu verò quid ais? Bona profectò, inquit, dicenda. Sapientiam verò quo in genere locabimus, bonorum'ne, an aliter? In bonorum, inquit,

tis sententia? equidem video Socratem in Philebo dicere, Bonum vna tãtum idea, siue specie, nequaquam comprahendi posse: quare nihil erit vnum prater DEVM, *quod cum bono conuerti, atq; reciprocari possit, nisi fortasse quis quod summum Bonum est, id solum bonum appellare velit, quod aliquando Socrates factitauit: nam in protagora* DEVM *solum bonum esse affirmat, quod ita intelligendum est,* DEVM *esse summum bonum, à quo cætera omnia, quæ bona dicuntur, originem, atq; principium habent: quod etiam infra paulò pòst enodatius explicabo. Homini verò summum bonum esse vult Socrates, quemadmodum in Phædone, atque in Theæteto obseruauimus,* DEO *quàm simillimum fieri, quod quidem Honestate sola, tanquam instrumento quodam, effici solet. Nihil autem Honestas sola, si fortè sine* DEI *cognitione fuerit, ad Felicitatem prodesse posset: nam ita Socrates ait in Theæteto:* DEI COGNITIO *sapientia est, & vera virtus: ignoratio verò stultitia, & vitiositas manifesta. Et paulò superius dixerat, Nulla est alia malorum fuga, nisi vt* DEO *quoad fieri potest similes efficiamur. Sed iam tempus esse mihi videtur, vt ab hac prima parte discedamus, nam satis omnino mihi probasse videor non satis rectè locutum fuisse Ciceronem, nisi fortè hoc arroganter dicitur, qui dixerit ex Socratis sententia, Quod honestum est,*

id esse

id esse solum bonum. Sequitur vt hoc etiam à veritate longè alienum esse doceam qua in parte dabitis profectò mihi veniam, si nimis alta sectari visus fuero. Est enim in profundo mersa veritas, quæ non nisi cogitationibus altißimis erui potest: deinde res summæ difficultatis est summũ illud bonum reperire, ad quod alia omnia referenda sunt, & quod solum eo nomine dignum esse videatur. Sed qua potißimùm ratione veritatem hanc inueniemus? equidem ita arbitror, si distinctionem eam secuti fuerimus, quam in rebus omnibus Platonici esse faciendam dicunt, et quæ cum Christiana religione mirificè videtur conuenire. Volunt enim verè diuini Platonici, tria esse, in quibus vniuersa boni natura consistat: Deum, Mentem, & Res creatas. Nam de Mundi anima, quam à Deo, atq; Mente proficisci volũt, quem nostri Sacrum spiritum appellare consueuerunt, nihil attinet hoc loco verba facere. A Deo verò, tãquam rerum omnium autore, atq; prima causa, & summo principio boni naturam omnem proficisci dicunt, quæ in Mente, hoc est in Dei filio, atq; vt nos appellare solemus, in CHRISTO *conquiescat. Atque hoc sanè pulcherrimum Mysterium est, & religioni nostræ maximè consentaneum. Dicunt enim Platonici, ipsius boni naturam non in Deo esse, nisi tanquam in causa, sed re ipsa bonitatem omnem in Dei filio, quam etiam Mentem vocant,*

consist

consistere: atq; ab ipsa Mēte rebus alijs creatis omnibus, quatenus eius capaces sunt, communicari. Et hoc est quod Christiani clamant, à Christo solo petendam esse salutem, atq; beatitudinem: nempe quia in solo Dei filio verissima illa bonitatis Idæa, atq; forma consistit, qua qui participes efficiuntur, soli felices appellantur, quoniam soli benè beateq; viuere possunt.

Tria sunt igitur hæc, quæ in bono spectari debent: Causa, Forma, Communicatio. Causa boni in Deo solo est, Forma in Mente, siue Dei filio, Communicatio in rebus ab ipso Dei filio creatis. Mentem enim volunt esse rerum omnium quasi opificem. Hæc autem tria possunt exemplo declarari, quò res clarior efficiatur: Sic enim dicere possumus, Caloris causam in sole esse, quoniam licet ipse Sol calidus non sit, causa tamen caloris est. Formam autem caloris in igne: in lignis denique, cùm accenduntur, caloris esse communicationem. Quid ergo? cùm boni naturam quæramus, dicemus eam à Deo produci, in Mente, atq; in Dei filio quasi conformatam, atq; impressam esse. ab Angelis, atq; ab animo nostro participari. Sed quis effectus est huius bonitatis? hoc est, quid habet animus noster vtilitatis, cùm eius bonitatis particeps efficitur, quam illi diuina mens elargitur? Nemo sanè non intelligit, sapientem, atq; felicem tum esse animum nostrum, cùm veri boni naturam participauerit, vult enim in

Euthyd

Euthydemo Socrates, eandem esse Sapientiam atq; Felicitatem: quare Bonum ita commodè definiri posse videtur, vt id esse dicatur, quod efficiens est felicitatis atq; sapientiæ. Quo sanè modo non erit in Deo bonum, neq; enim eget Deus vlla re, quæ felicem eum, atq; sapientem efficiat. Mens autem, atq; Dei filius, si Platonicis credimus, Deo eget autore, vt felix, & sapiens esse poßit, atq; ita quodammodo solus Deus dici bonus potest: quoniam, vt apud Platonem in Euthyphrone legimus, ab ipso bona cuncta proficiscuntur: quodam etiam modo nequaquam bonus dici potest, quoniam supra omnem bonitatem atq; felicitatem collocatus est. Atque hoc est quod Plotinus, & nonnulli alij sapientes Platonici dixerunt, Deum nihil sentire, nihil intelligere, nihil agere: sed omnium harum actionum, sicuti reliquarum etiam rerum omnium, causam esse: atq; ideo rerum omnium præstantißimum esse Deum. Quoniam licet in se nihil habeat, modo tamen quodam eximio, in se omnia habere dicatur, quoniam omnium rerum causa est. Vnde non sine causa Dionysius ille Areopagita, qui scriptis suis quam plurima diuina mysteria euulgauit, ait, Nihil nos verè de Deo affirmare posse: longeq; verius, quid non sit Deus, quàm quid sit explicare posse: quare neq; sapiens neq; bonus, neq; felix, propriè dici Deus potest: quæ omnes appellationes Menti, atq;

Dei

Dei filio rectißimè conueniunt, quoniam præclarißimarum rerum omnium in eo forma est, non tamen eo modo, quo mentes Angelicæ, atq; animi nostri sapientes, boni, atq; felices dicuntur: sed alia quadam ratione longè excellentiore, nomina hæc omnia Dei filio conueniunt, quia bonorum omnium (vt ait Homerus) effector atque largitor Deus. Videmus igitur pulcherrimam quandam Platonicorum cum religione nostra conuenientiam, idem enim nobiscum in hac parte Platonici sentiunt, à Deo boni naturam omnem prouenire, in quo (vt ait Aratus) viuimus, mouemur, & sumus. Omnem autem boni speciem atq; formam in Mente siue in Dei filio sitam esse, in hoc tantum differre videntur, quòd Mentem ipsi creatam dicunt. Nos autem hoc non dicimus, sed tanquam filium à patre genitum. Nos enim CHRISTVM *Dei quidem filium esse, sed æternum, & nullo vnquam tempore creatum fuisse credimus. Platonici verò dicunt à Deo mentem quandam perfectam ab initio fuisse creatam, quam eandem Sapientiam, & Rationem sempiternam vocant, in qua rerum omnium species, quas Idæas ipsi appellant, à Deo impressæ fuerint, atq; ab ipsa deinde Mente reliqua omnia fuisse procreata. Quod etiam Theologi nostri confirmare videntur, qui tradunt, à Dei filio, in quo vera boni natura est, & Mundum hunc vniuersum, & quæcunq;*

in eo

in eo sunt, esse facta. Quamuis autem Mens illa sempiterna sit à Deo profecta: tamen & nostra, & Platonicorum sententia, etiam ipse verè Deus est, quoniam eandem cum Deo naturam habet: & ratione tantùm, non autem substantia differt. Hæc igitur ea natura est, quæ sola bona verè dici potest, quam Cicero fortasse nunquam aduertit. Sed in hac parte fortè vobis videor nimiùm vltra septa (quod aiunt) transilire, & in alienam messem manum ponere: qui cùm me disputatorem fore pollicitus sim, etiam Theologum agam. Scitote tamen me hæc proxima hyeme ab hoc Maioragio nostro didicisse: quæ si putasset me in Ciceronem suum deprompturum, nunquam fortasse docuisset. Atque hæc cùm diceret hilari vultu, atque subridenti me aspectabat. Ego verò gaudebam sanè adolescentulum eum, quem propter summum eius ingenium semper plurimum dilexi, tam multa memoriter, & tam obscura dilucidè pronuntiasse: atq; ideo cohortari cœpi, vt audenti animo pergeret, & institutum sermonẽ ad finem deduceret. Tum ille, Iam igitur, inquit, Boni naturam inuenimus, nempe Mentem illam perfectam, Sapientiamq́;, quem nos Dei filium, ac Deum appellamus, omnium rerum, quæ sunt ei subiectæ quasi prudentiam quandam, vt ait Cicero, procurantem cœlestia maximè, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines. Hac autem boni natura

iam

iam mentes Angelicæ conformatæ sunt, atque ideo beatæ æuo sempiterno perfruuntur, neq; vllo amplius errore possunt à recto dimoueri, propterea quòd ipsam boni faciem semper intuentur, & ab ipsa continuò perficiuntur: quod etiam tunc animis nostris profectò accidere solet, cùm primùm è vinclis corporis liberati, in domum illam sempiternam euolarint. Eos enim in hac vita, quemadmodum verissimè cecinit Vergilius, noxia corpora tardant, Terreniq; hebetant sensus, moribundaq; membra. Hîc metuunt, gaudentq;, dolent, cupiuntq;, nec auras Respiciunt, clausæ tenebris, & carcere cæco. Neq; vllam omnino veræ felicitatis partem habere possunt, nisi veram virtutem, atque honestatem amplexi, quæ (vt ait in Theæteto Plato) DEI *cognitio est, illi se quàm simillimos efficere studeant. Hoc igitur modo animi nostri bonitatis participes efficiuntur. Quamobrem illa tria, quæ præposuimus, iam inuenimus: nempè, Vnde bonum oriatur: diximus enim omnem à* DEO *boni naturam proficisci. Quæ sit boni species, atque vera natura. Mens enim, qui (vt initio diximus) Dei filius est, ipsum est verum bonum, quod etiam Angelos, quasi splendor quidam excellentissimus informat. Et denique, Quæ sint illa, quæ bonum ipsum participant, Nos enim, hoc est animi nostri, qui diuina ea gratia quæ semper illis infunditur, naturæ quodam instinctu*

ad ipsum bonum rapiuntur, si voluerimus felicitatis eius, atque diuini boni fieri participes, possunt. Quæ cùm ita sint, omnino iam perspicuum est, Honestum ipsum, quod solum esse bonum Cicero dixit, neq; verè bonum esse, neq; in veri boni rationem cadere. Quid ergo est (inquiet aliquis) Honestum? Dicam planè quod sentio, & quod ego verißimum esse iudico. Cùm eius rei gratia Deus homines procreasset, vt eos felices, ac beatos aliquando redderet, vias quasdam illis præmuniuit, atq; rationes, & quasi instrumenta præstitit, quæ illos ad ipsum finem, hoc est ad Bonum, atq; ad Felicitatem perducerent. Ergo ita factum est, vt quæcunq; ad beatitudinem acquirendam aliquo modo prodesse possent, ea ab hominibus bona vocarentur: quoq; maius adiumentum, & faciliorem ad beatam vitam aditum præberent, eo maiora etiam bona dicerentur. Itaq; quoniam ad beatam vitam comparandum, nihil est Honestate aptius, nihil accommodatius, nihil deniq; magis necessarium: ideo accidit, vt à sapientißimis hominibus Honestas maximum bonum putaretur: non quòd in se boni naturam contineat, sed quia non nisi per eam possunt homines boni illius veri naturam participare. Est igitur Honestas non absolutè maximum bonum, nam longè maius bonum est Felicitas, cuius gratia quærimus Honestatem: sed eorum bonorum maximum, quæ nobis ad

felicitatem quasi viam præmuniunt. Virtutes igitur omnes, quæ vno honestatis nomine comprahendun- tur, hac tantùm ratione bonæ sunt, quoniam ad felici- tatem nobis viam præparant: tantoq; meliores corpo- ris atq; fortunæ bonis sunt, quantò magis sunt ad ac- quirendam beatitudinem necessariæ. Potest enim quis etiam sine corporis & fortunæ bonis per solam hone- statem ad eam qua fruuntur Angeli, atq; beatorum animæ, felicitatem peruenire. Sed quia diuitiæ, sani- tas, vires, cæteraq; id genus, ijs qui sapientiæ cupidi sunt, ad virtutem adipiscendam plurimum adiumen- ti conferunt: non enim tam facilè pauper, egrotus, & infirmus, quàm qui diuitijs abundat, et corpore sanus atq; robustus est, disciplinis atq; virtuti dare operam potest. Ideo ab Academicis, atq; Peripateticis, etiam hæc bona nominantur. Equidem possem in hanc sen- tentiam multa alia colligere: sed partim quia vereor, ne longa nimis oratione vestras aures offendam, par- tim etiam, quia satis hæc esse existimo, ad ea quæ proposuimus ostendenda, finem hîc dicendi faciam.

Hoc loco Primus vehementer admiratus quod in tota Marci oratione fecerat, Vnde quæso nobis, inquit, tam repentè Marce Platonicus euasisti? vix enim te per ætatem posse Ciceronis opera voluere cum intelli- gentia credidissem, nam septimum ac decimum te vix annum attigisse certò scio. Maioragium autem

sex annos (vt opinor) totos audisti, cùm nouem natus annos audire cœpisses: quo sanè in tempore vulgatos hos autores, quos Maioragius interpretatur Ciceronem, Demosthenem, Homerum, Vergilium, semper in manibus habuisti. Proximo verò anno scio te ab eodem Dialecticis imbutum esse, neq; ex Philosophia quicquam degustasse te existimo, præter quinq; priores Ethicorum Aristotelis libros, quos idem tibi præceptor tuus declarauit. Vnde verò Platonicam istam doctrinam hauseris, mirari non satis queo. Sed incredibilem certè capio voluptatem: primò, quia longè doctiorem, atq; eruditiorem te, quàm putaram, esse video. Deinde, quia desinet tandem Maioragius illud suum iactare dictum, Nullum vnquam post hominum memoriam fuisse, qui vel minimum errorem, qui excusari non posset, in Cicerone deprænderit: & siquid ab aliquo reprænsum fuerit, id iniustè factum: seq; paratum, in omnibus ad eius esse defensionem. Nam quid ad ista, quæ dixisti, respondere possit, omnino non video. Tum ille: Scis'ne me, Prime, inquit, abundare otio? Quid autem aliud agam, cùm solus sum, quod me magis delectare possit, quàm Platonem euoluere, prorsus non reperio: quem quanti tu facias, nescio: ego certè non miror, à Panætio Deum Philosophorum fuisse appellatum: à Cicerone verò cæteris omnibus Philosophis esse præpositum. Ita me reficit

ficit, atq; recreat eius lectio, vt etiam multa excerpam, & memoriæ mandem, quæ mihi vsui, atq; ornamento esse poßint. Sed de Maioragio non dubito, quin & hæc, & alia quæ in hanc sententiam dici possunt, si voluerit, facilè poßit refellere. Perge porrò, inquam ego, quamuis enim illud verißimum sit, quod veteri prouerbio dicitur, Multos esse discipulos magistris præstantiores: non tamen vereor, ne in tam bona, tamq; facili causa me superior euadas.

Quid pergam, inquit ille: aut quid est, quod amplius à me desyderes? An non satis tibi probatum esse videtur, hanc, quam Cicero Socraticã, atq; veram esse vult, neq; Socraticam, neq; veram esse sententiam? nam neq; Socrates dixit vnquam, neq; ratio patitur, vt id solum bonum sit, quod honestum. Tum Antonius: An oblitus es, inquit, Marce, quod initio pollicitus es, te ostensurum, nullum esse in hoc Primo Ciceronis Paradoxo argumentum, quod acutè conclusum esse videatur? hoc est, quod Maioragius te pergere, ac promissa præstare iubet. Imò verò, inquit ille, maximè memineram: sed mehercule iam pigebat ad eam venire disputationem, in qua non tantùm falsa docuisse Ciceronem, sed etiam inscienter, atq; imperitè id fecisse mihi demonstrandum esset. Sed quoniam hoc ipse mihi intriui (quod ait Terentius) omne mihi exedendum est. Dicam igitur apud homines fami-

liarißimos quod institui dicere: verùm illud à vobis omnibus etiam, atq; etiam peto, ne has meas ineptias efferatis. Sed ad rem redeo. Primùm est igitur hoc Ciceronis argumentum, vnde tota hæc disputatio pendet: Ego neq; pecunias, neq; tecta magnifica, neq; opes, neq; imperia, neq; voluptates in bonis rebus esse numerandas duco: Ergo quod rectum, & honestum, & cum virtute est, id solum bonum iudico. Hæc summa est totius primi Paradoxi. Quod Enthymema quā vim habeat, pro vestri ingenij acumine vos intelligere arbitror: nam idem est, ac si quis ita concluderet, Ego neq; plumbum, neq; ferrum, neq; argentum prætiosum esse arbitror: Solum igitur aurum prettiosum est. Sed quid gemmas, inquiet aliquis: quid vniones? vtrum'ne tibi pretiosi videntur, an non? Sic ego possum à Cicerone petere: Dic mihi Cicero, vtrum sapientiam, atq; felicitatem, & DEI cognitionem in bonis rebus esse numerandam ducis, an non? Si non: quid tibi prodesse sine felicitate, atq; DEI cognitione poterit honestas? Si etiam: cur igitur solam honestatem dicis esse bonam? Atqui diceret fortasse Cicero: Ego à felicitate, & DEI cognitione honestatem non distinguo. Quid igitur tibi faciam Cicero, si quid distent æra lupinis, nunquam didicisti? ergo tuis istis Paradoxis Socratis nomen præfigere ausus es: cùm, quæ Socratis sententia fuerit, penitus ignores? Ergo

tu

tu honestatem à felicitate non separas? Sed dic mihi: Qua de causa virtus atque honestas est expetenda? certè quia meliorem, & laudabiliorem virum efficit. Sed quæ causa est, vt vir bonus, & laudabilis, effici quispiam velit? Nemini dubium est, quin id efficiat. vt aliquando felix ac beatus esse poßit. Honestatem igitur, et virtutem, felicitatis gratia nobis comparare studemus. Non est igitur eadem honestas, quæ felicitas. Illa enim huius gratia quæritur. Quò fit, vt felicitas finis sit, atq; scopus voluntatis nostræ. Nullus est enim ex omnibus, (vt docet Aristoteles in Ethicis) qui non felicitatem sibi quærendam proponat. Honestas autem tanquam instrumentum quoddam, atque via, ad illam est. Tria sunt igitur hæc inter se distincta, atq; separata, Quod expetit, Quod expetitur, & Cuius gratia expetitur. Quòd expetit, homo est: Quod expetitur, honestas: Cuius gratia expetitur, felicitas.

Est igitur honestas medium quoddã, sine quo nullo modo felicitas acquiri potest: vt Architectus, qui sibi pulcherrimi ædificij formam in animo proposuerit, nunquam poterit ædificium illud substruere, nisi prius operarios instrumenta, cæteraq; id genus, quæ ad substructionem ædificiorum necessaria sunt, præpararit. Quòd siquis operarios illos, atq; illa instrumenta putet idem esse cum ædificio, cuius gratia comparantur, an non insanißimus homo videatur? Nobis autem (si

Dijs placet) pulcherrimè, atq; sapientißimè fecisse Cicero videbitur, qui virtutem, atq; honestatem eandem esse cum felicitate putauerit. Præterea concludit Aristoteles Ethicorum primo, Felicitatem non esse natura laudabilem, sed potius venerabilem, quoniam ea tantùm laudari solent, quæ ad aliquem optimum finem diriguntur, non quæ per se ipsa contenta sunt. Honestas autem (vt in primo de officijs ait Cicero) etiam si à nullo laudetur, tamen laudabilis est natura. Non est igitur eadē honestas, quæ felicitas. Verùm hoc iam perspicuum, atq; apertißimum esse arbitror, primum illud Enthymema nihil omnino concludere. Quamuis enim illi concedamus, neq; diuitias, neq; imperia, neq; voluptates in bonis rebus esse: non tamen ideo sequitur, vt quod honestum est, id solum bonum sit. Nam felicitas honestate longè melior est, propter quam & honestas, & reliqua omnia expetuntur.

Sed primum illud effatum omnino falsum est, quòd neq; diuitiæ, neq; imperia, neq; voluptates in bonis rebus sint. Quod quamuis superius ex Socratis sententia satis copiosè docuerim: tamen neque hoc in loco mihi prætereundum esse videtur: Sed prius illud dicam, quod satis mirari non possum: videtur enim mihi Cicero maximè negligens hoc in loco fuisse: cùm enim probare aggrediatur, quod honestum est, id esse solum bonum: ratio differendi postulabat, vt omnia, quæ

vulgò

vulgò bona putarentur, ea non esse bona ostenderet: alioquin nihil rectè concludere potest. Sed nō tantùm ab imperita multitudine, verùm etiam à sapientissimis hominibus, atq; in primis ab Aristotele, Platone, Socrate, nobilitas, & ualetudo, & vires, & pulchritudo corporis, in bonis rebus numerantur. Hoc autem loco Cicero de his nullam omnino mentionem facit: sed tantùm diuitias, imperia, voluptates, nominat, quæ quoniam in bonis esse non vult, rectissimè concludi putat, Ergo quod honestum est, id est solum bonū. At si Metrodorus adesset, qui summum in corporis prospera valetudine bonum constituebat, vel Ciceronem irrideret, vel contrà se nihil esse conclusum existimaret. Alcibiades autem fortasse putaret, summa se bona consecutum, et ea quæ sola bona dici possint, propterea quòd nobilissimus, atq; pulcherrimus esset: sic enim fortè ratiocinaretur, postquàm hoc Ciceronis Enthymema audisset, Diuitiæ non sunt bonæ, neq; imperia, neq; voluptates. Quid ergo? bonum tantùm id est, quod honestum. Sed nobilitas, atque corporis pulchritudo, certè bona sunt: nam si bona non essent, id profectò dixisset Cicero: quoniam reliqua, quæ bona putantur, nec sunt, commemorauit. Ergo nobilitas, et pulchritudo corporis honesta est. Sed quod honestum est, id est solum bonum: igitur nobilitas, atq; pulchritudo corporis sola bona sunt. Quare ex Ciceronis sen-

tentia nihil mihi deest, ad bene, beateq; viuendum. At contrà Thersites, aut Aesopus, hæc eadem audiens, se omnium mortalium miserrimum existimaret, quoniam maximè deformis, atque ignobilis esset. Sed hæc ioci gratia dicta sint: nam non omnino excusari posse Cicero videtur quin in hac re grauissimè deliquerit. Cætera videamus. Diuitiæ, inquit, & imperia, & voluptates nequaquam in bonis sunt. Cur Cicero? non enim video, quare bona non debeam appellare, quæ Socrates bona vocauit. Quoniam homines, inquit, his rebus circumfluentes, ea tamen desyderant maximè, quibus abundãt: neq; enim vnquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis: neq; solùm ea, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. O mirum acumen Cicero tuum: ergo te his rationibus probasse putas, neq; diuitias, neq; imperia, neque voluptates esse bonas, quoniam improbi homines eis non satiantur? & quamuis eis abundent, tamen et libidine, & metu cruciantur? Sed dic mihi, vitia ista, quæ commemoras, in rebus'ne sunt, an in hominibus? Si in rebus, cur non igitur omnes, qui diuitijs abundant, qui imperia consequuntur, qui aliqua voluptate afficiuntur, improbi, atq; scelerati sunt? accepimus enim & antiquo tempore, & patrum nostrorum memoria fuisse, & etiam hoc tempore videmus esse multos, & diuites, et principes, qui honestis

volupt

voluptatibus oblectantur, bonos viros, & sanctos, atq; religiosos haberi, & esse: neq; enim diuitiæ, neq; imperia, neq; honestæ voluptates quemquam impediunt, quo minus virtuti atq; bonis moribus, si voluerit, dare operam possit. Non igitur in rebus vitia sunt, sed in hominibus: quoniam, vt rectè poëta quidam cecinit, Non res in vitium sed malefacta cadũt. Quamobrem etiam ego tecum hominum improbitatem, Cicero, condemno: neque tamen ideo diuitias, & imperia, & voluptates, non esse bonas, rectè concludi arbitror. Quicquid enim aliquo modo potest ad acquirendam felicitatem prodesse, id ego cum doctißimis atq; sapientißimis illis viris Socrate, Platone, Aristotele, bonum appello. Sed diuitiæ, imperia, voluptates, (non belluinæ, quas etiam nos magnopere condemnamus) plurimum ad virtutem, atq; honestatem acquirendam, quæ felicitatis effectrix est, prodesse possunt. Quis enim nescit, paupertatem, atque mendicitatem, maximum impedimentum esse virtutis atq; sapientiæ? Quis non intelligit, diuites longè commodius ingenuis artibus, atq; disciplinis, quæ facilem ad honestatem viam præparant, quam pauperem vacare posse? Quòd si plerique diuites turpibus se voluptatibus, atq; otio dedunt: id non diuitiarum, sed ipsorum hominum vitium est. Non enim cuiquam dubium esse potest, quin diuitijs benè vti liceat, siquis voluerit. Quod

idem etiam de imperijs, atque voluptatibus dicere licet: Nam optimus princeps viuum Dei simulachrum est: qui priuatorum commodis, atque vtilitatibus studet: iustitiam, atque æquitatem maximè conseruat: nihil aliud vnquam, quàm de communi salute cogitat: quem cùm Aegyptij significare vellent, oculum cum sceptro pingere solebant: quoniam quod oculus in corpore, id princeps in Repub. quòd in cœlo Sol, id in terris princeps bonus. Pro Dij immortales, audebit'ne dicere Cicero, bonorum hominum imperium non esse bonum? Quid est quod magis in hac vita Dei similitudinem repræsentet? quid est quod propius ad Dei bonitatem accedat, quàm ille conseruator populorum, (vt primo de Repub. Socrates appellat) sanctissimarum legum moderator, communis patriæ parens, facilis, humanus, temperatus princeps? Sed non committam, vt me in communem locum excurrere, detractandæ disputationis gratia, quod facere sæpe Rhetores solent, existimetis. Videtis enim, quàm latus pateat dicendi campus de bono principe, si mihi libeat oratione spatiari. Sed redeo ad illud, quod omnes intelligunt, Bonum quidem virum semper esse vtilem: sed longè vtiliorem, si etiam diues fuerit: vtilissimum verò, si principatum fuerit adeptus: nec alia de causa Plato in sexto de Repub. libro, tum deniq; beatas fore Respub. existimauit, si aut sapientes homines eas regere

gere cœpissent: aut qui regerent, omne suum studium in doctrina atq; sapientia collocassent: nisi quia videbat, imperium sicui bono viro obtigisset, rem fore, omnium humanarum maximè diuinam. Sed, vt breuiter hanc partem expediam, dico ex Platonis sententia, Diuitias, imperia, voluptates, cæteraq; huiusmodi, mediam quãdam naturam obtinere: vt benè vtentibus bona sint: malè autem vtentibus mala. Sed quoniam semper ab eo quod excellit tota res appellatur: ideo factum est, vt res id genus mediæ, quoniam aliquod ad honestatem adipiscendam momentum habent, & magnam in vita commoditatem præstant, à Peripateticis atq; Academicis bona vocarentur. Et re vera, quoties ad finem eum, cuius gratia nati sumus diriguntur, vt semper bona sint necesse est. Nam vt libro de legibus nono Plato sanctißimè docet, Optimè sanè, & pulcherrimè viueremus, si vera de diuitijs sententia vbiq; prædicaretur: ea verò est, Quòd diuitiæ corporis gratia sint, corpus autem animi gratia. Quare cùm bona ea sint, quorum gratia sunt poßidendæ diuitiæ, tertium gradum post virtutem animi corporisq; tenebunt. Hæc ergo ratio nos tanquam magistra docebit, non oportere hominem, qui felix sit futurus, diuitias quomodocunq;, sed cum iustitia et temperantia quærere. Quin etiam ibidem paulò antè docuerat, quæ causa sit, cur diuitiæ sæpenumero nocere soleant:

soleant: quia scilicet ab auaris, atq; improbis hominibus non recto ordine requiruntur. Quippe, inquit, tam Græci, quàm Barbari, diuitias, cùm tertium bonorum teneant locum, in primo ponunt: atque hac sententia seipsos simul, & posteros perdunt, ex quo loco, sicut etiam ex alijs plerisq; perspicuum est, Diuitias in bonis, sed in tertio demum loco à Platone numerari. Eorum enim bonorum, quæ ad felicitatem spectant, primum honestas atq; animi virtus locum obtinet: secundum corporis virtus, vt valetudo, robur, pulchritudo: tertium deniq; diuitiæ, cæteraq; quæ à fortuna donari hominibus ornamenta putantur. Quæ cùm ita sint, nulla erat causa, cur Cicero maiores suos, homines continentissimos, imprudentiæ condẽnaret, qui pecuniam atq; diuitias bona putauerint appellanda: quoniam omnino quoties ad humanæ vitæ finem diriguntur, hoc est ad felicitatem, vera bona sunt. Vnde Iurisconsulti, quamuis hoc Ciceronis paradoxon pleriq; videre potuerint, tamen omne genus pecuniarum bonorum nomine appellare non dubitarunt. Hinc illi tituli, atq; inscriptiones, passim in toto iuris corpore sparsæ leguntur, de bonis quæ liberis, de bonorum possessione secundum tabulas, & contra tabulas, de bonis libertorum, de bonis maternis, de bonis proscriptorum, de bonis auctoritate iudicum possidendis, de bonis vacantibus: hinc dicũtur bona hæreditaria, bona aduentitia, bona

ciuium

ciuium publicare, cæteraq; huiusmodi propè innumerabilia. Sed vrget nos Cicero valido (vt ipse putat) argumento: Non potest (inquit) bonum cuiquam malo esse: neque potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse nō bonus. Verißima hæc sunt Cicero: quis neget? Sed ista (inquit) omnia talia videmus, vt & improbi habeant, & obsint probis. Hac ratione demonstratum à se fuisse putat Cicero, non esse bonas diuitias. Sed nimirum in eo fallitur, quia mediam non secat viam. Nam si aduerteret, hæc in se neque bona esse, neq; mala, sed tantùm ad aliquem finem collata, bona, vel mala nuncupari: videret sanè, nullam in argumentatione sua vim inesse. Verißimum quidem, nullum bonum, quatenus est eiusmodi, cuiquam malo esse: sed quoties ad alium finem, quàm ad sapientiam, & felicitatem, ex ijs aliquid quæ media sunt, dirigitur, non amplius illud bonum est, sed statim malum efficitur. Ita vnusquisq; in abundantia bonorum necessariò bonus est, quoniam illa bona omnia ad finem rectum ordinat: si verò ad alium finem, vt ad prauas voluptates, ad ambitionem, ad tyrannidem, ad explendas cupiditates, opes suas aliquis conferat: non iam eum ego bonis abundare dicam, quoniam ea quæ poßidet, non amplius formam suam, neq; id, cuius gratia poßideri debent, intuentur. Quòd autem ait Cicero, Bona hæc probis viris obesse: mirari non satis possum,

possum, neq; id qua ratione fieri poßit, prorsus intelligo: cùm præsertim à Socrate in Apologia sua didicerim, probo viro neq; viuo, neq; mortuo quicquam obesse posse. An hoc fortasse dicit Cicero, quoniam interdum accidit, vt propter diuitias, atq; imperia, bonis viris multæ fiant insidiæ? nihil enim esse aliud opinor, in quo poßint hæc dici probis obesse. Sed huius certè nocumenti, si modo bonis viris noceri potest, nõ ipsæ diuitiæ, aut imperia per se, nisi fortasse casu aliquo, sed inexplebilis illa prauorum hominum cupiditas in causa est, quæ diuitias, atq;, imperia non honestatis gratia, sed voluptatis atq; ambitionis appetit. Rectißimè autem Bias secum omnia sua se ferre dixit: quoniam nihil est cuiquam suum, nisi quod ad sapientiam prodesse poßit: neq; vir intelligẽs, hæc de quibus agimus, diuitias, imperia, voluptates appetet, nisi quantum sibi ad virtutem facilius amplectẽdam prodesse posse viderit: quoties autem impedimento sibi esse cognoscet, ea statim relinquet. Hinc est, quòd Thebanus Crates in mare pecunias abiecisse dicitur, & Democritus patrimonium suum neglexisse: quamuis hoc nõ sapienter mihi fecisse videntur, longè enim melius fuisset, pauperibus, atq; mendicis ea distribuere. Quòd autem magnam exemplorum vim congerit Cicero, vt Romuli, Numæ Pompilij, Bruti, Mutij, cæterorumq; Romanorum: eis exemplis orationem potius suam illustrat,

strat, & splendidiorem reddit, quàm id, quod proposuit, aliquo modo confirmet. Quid enim absurdius hac inductione reperiri potest, si ad argumentationis formam hoc modo reducatur? Romulus, Brutus, Decius, cæteriq; multi, nihil in vita præter honestatem sibi expetendum existimarunt? Ergo sola honestas bona est. Hac sanè ratione possem ego solam voluptatem esse bonam argumentari: quoniam Eudoxus, Philoxenus, Xerxes, Aristippus, Epicurus, Metrodorus, Apicius, cæteriq; innumerabiles, nihil præter voluptatem sibi expetendum proposuerunt. Hac ratione auaris solæ diuitiæ bonæ videbuntur, ambitiosis sola gloria, atq; hoc modo possum in singulis procedere: sed non quid in hominum opinione, verùm quid in re sit, consyderandum est. Nam si isti summi viri ad res illas tam præclaras, vt felices fierent, accedebant: certum est, quòd non honestatem solam bonam existimabant, nisi adiungeretur etiam felicitas. Si verò id agebant, vt nomen suum immortalitati consecrarent: honorem etiam, & gloriam, bonam existimabant. Quòd si tantùm, vt honestè agerent, tam præclarè se gerebant, neq; ad gloriam, neq; ad felicitatem respicientes: (quod nunquam crediderim) non tamen ideo necessariò sequitur, vt quod honestum est, id solùm bonum sit, propterea quòd illi ita se gesserint: quoniã ex hominũ opinionibus, & actionibus, nihil in rerum

natura necessariò dependet: neque enim aliquid ideo verum est, quia plurimi verum opinantes, illud omni ratione assequi student. Iam verò quòd in extrema huius capitis parte pluribus verbis voluptatem Cicero damnat, quoniam aliqui summum bonum in ea esse voluerunt: nomen hoc Voluptatis distinguendum arbitror. Nam si voluptatem eam intelligamus cuius auidæ libidines temerè, & effrenatè ad potiundum incitantur, quam Plato in Timæo escam malorum appellat, & quam in legibus ait Cicero penitus in omni sensu implicatam insidere, & esse quidem boni mutatricem, sed malorum matrem omnium, rectißimè certè hoc in loco à Cicerone, sicut etiam in Catone maiore repræhenditur. Si verò voluptatem eam puram atq; synceram, de qua Socrates in Philebo multa sanè verba facit, & ad beatißimam vitam efficiendam ait cum sapientia permisceri, intelligamus: nulla est causa, cur non eam non tantum in bonis, sed etiam in summis bonis numeremus. Quòd autem ita voluptates distinguantur, vt aliæ bonæ sint, aliæ malæ, quod nusquam aduertisse Cicero videtur, audite quæso Socratis verba, quæ nuper è Philebo decerpsimus: nam ibi fingit à se Socrates mentem & sapientiam interrogari, vtrum omnes sibi voluptates, & bonas, & malas admisceri patiantur: Mentem autē sibi respondentem fingit, tantùm eas, quæ puræ sunt voluptates,

à se admitti: reliquas autem omnes à sese reijcere. Sed præstat eius verba recitare: Nostra, inquit, posthac interrogatio talis erit. Vtrum præter illas veras voluptates vobis etiam opus est vehementissimarum, maximarumq; voluptatum commercio? Fortè sic illæ respondebunt: Minimè verò, ô Socrates: hæ namque impedimenta nobis innumerabilia præbent: animas enim, quas incolimus, voluptates istæ furiosæ perturbant, nec adolescere nos permittunt, nostrumq; genus plerunq; per negligentiam, obliuione illata, penitus corrumpunt. Alias autem illas voluptates veras, ac puras, quas ipse narrasti, fermè nobis esse domesticas existima: & præter has, etiam illas, quæ cum sanitate, & temperantia, cæterisq; virtutibus capiuntur. Has enim, quæ virtutis, tanquam Deæ cuiusdam, pedisequæ sunt, libenter admittimus: quæ verò cum dementia, atque alia improbitate congrediuntur, eas Menti, & sapientiæ permisceri putare, absurdum est.

Quamobrem nulla ratio est cur in eos tantopere Cicero sæuiat, atq; eloquentiæ suæ fulmina iaculetur, qui voluptatem summum esse bonum affirmarunt. Nam si de illa, quæ vera voluptas est, senserunt, optimè sensisse videri possunt: erit enim eadem ferè, quæ grauissimo nomine Sapientia, quæq; Felicitas appellatur: cuius etiam in hac vita partem aliquam eo tēpore percipere solemus, cùm res aliquas egregias, atq; honestas

nos effecisse intelligimus. Atq; hoc est, quod in eodem Philebo Socrates dicit, his quidem verbis: Falsis voluptatibus homines praui plerunq; gestiunt: boni autem homines veris aluntur. Hæc igitur vera voluptas omnino meliorem efficit, & laudabiliorem virum: & qui eam habet, honestißimè gloriari potest. Quod cùm ita sit, quis non intelligit, totam huius primi capitis conclusionem esse falsam? Sic enim concludit Cicero: Si voluptas, quæ plurimorum patrocinijs defenditur, in rebus bonis habenda non est, eaq́; quò est maior, eò magis mentem ex sua sede, & statu dimouet, profectò nihil est aliud benè ac beatè viuere, nisi honestè, & rectè viuere. Possum enim ego, & quidem fortasse longè melius, & verius ita concludere, Cùm vera voluptas, qua probi homines delectantur, & aluntur, cum sapientia permista summum bonum efficiat, eaq́; quò est maior, eò magis mẽtem nutrit, atq; in suo statu corroborat: profectò nihil est aliud benè ac beatè viuere, nisi cum vera voluptate ac sapientia viuere. Quid autem hæc mea conclusio à Ciceronis conclusione differat, satis ex ijs, quæ supra diximus, perspicuum esse arbitror. Hæc cùm dixisset Marcus, oculos, quos in dicendo fixos ad terram continenter habuerat, sustulit; & singulorum vultum intuitus illud addidit: Hæc habui, quæ contra primum Ciceronis paradoxon mihi dici posse viderentur: quæ si

forte

fortè vobis inania visa sunt, ignoscite adolescentiæ meæ: sin aliqua sunt acutè dicta, nec omninò malè conclusa, restat, vt omnes Maioragium obtestemur, (quamuis hoc sua sponte facturum reor, quandoquidem se Ciceronis patronum profitetur) ut hæc mea refellat: neq; hanc, siue imperitiæ, siue negligentiæ, labem in Ciceronis nomine inueterare sinat. Tūc ego, Habeo quidem, inquam, Marce, quæ respondeam: sed quoniam te, quod nō putaram, ad hanc disputationem paratißimum venisse video, volo etiam mihi spacium ad cogitandum dari: neq; enim ea est in me facultas, vt ex tempore poßim tuis tot argumentis respondere.

Tunc Franciscus: Bono, inquit, animo esto Marce, nam ista Maioragij tergiuersatio, atq; fuga, mihi significare omnino videtur, nihil eum habere, quod tibi respondeat. Noui enim eius ingenium, noui animi impetus. Nullo modo silere posset, siquid contra te haberet, quod vel esset verisimile. Sed vis'ne tibi dicam, quid in mētem mihi, te dicente, venerit? Quid nam, inquit ille. Vt quoniam, inquit, tu quasi viam ad euertēda Ciceronis Paradoxa nobis præmunisti, nos etiam alij singuli singula subuertamus, ne Maioragio spacium ad sese colligendum, & suum Ciceronem defendendum præbeamus. Nam ex oratione tua quædam annotaui, & quædam etiam alia mihi in mentem veniunt, quæ secundum Paradoxon subuertere facilè

posse videantur. Itaq;, quod inter nos facere liceat, qui familiares & penè domestici sumus, ego me polliceor, si vobis audire placuerit, conaturum secundum illud Paradoxorum caput euertere: quod licet ita doctè, atq; ingeniosè, quemadmodum tu Marce, efficere me posse non sperem: illud tamen profectò efficiam, vt nos alij iucundè postea rideamus, Maioragio verò oculi doleant. Hoc quidem certè, inquit Marcus, nihil mihi optatius accidere posset, quàm vt te quoq;, & Antonium fratrem tuum, si voluerit, ineptiarum mearum comites habeam. Nam Primum nullis precibus adduci posse spero, vt nobiscum vir tantus, hoc est cum paulò loquacioribus, & fortasse non imperitis adolescentibus, vir omnium grauißimus, & doctißimus, insaniat. Quid, inquit Antonius, an hoc indecorum Primo tibi fore videtur, si de ijs rebus, quæ ad eruditionem pertinent, paulò liberius, & quasi iocandi gratia, nobiscum agatur? cùm præsertim grauißimos homines etiam puerilibus ludis animi relaxandi gratia delectatos fuisse legamus: nam Socrates cum pueris in foro, Catonem Censorium cum vernis, & seruulis domi ludere solitum accepimus, quod etiam de Archita Tarentino, atq; Heraclito Ephesio memoriæ proditum est. Nam Amasis Aegyptiorũ Rex, qui sapientißimus habebatur, post seria negotia scurrari & Morionem agere solitus dicitur. Magnum

vero illum Agesilaum cum infante filio palam arundinem equitare non puduit. Quid Alexander Seuerus? an non per dies festos perdicum & catulorum pugna sese oblectabat? Iam vero Augustus aleæ lusu frequenter animum relaxabat. Quare nõ est quod de Primo Marce dubites, nam eum vel inuitũ cogemus contra Ciceronem aliquid, dum in hoc otio sumus, ex intima illa sua scientia proferre: seruabimusq; eam Lacedæmoniorum consuetudinem, quam apud Platonem in Theæteto Socrates commemorat: ait enim, solitos fuisse Lacedæmonios, cùm quis adesset in Palæstra, eum compellere, vt vel exueretur & certaret, vel confestim discederet. Itaq; Primus vel eadem aget, que nos quoq; viderit agere, vel si grauitatem illam suam seruare voluerit, procul eũ à nobis relegabimus.

M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON LIBER SECVNDVS.

*



AEC dum agerentur inter nos, accurrens seruus è Marci familia nunciauit, nõ mediocriter de nobis coquum iamdiu conqueri, quòd paratum prandium corrumperetur: et præterea Marci patrem Lancillotum cum duobus fratribus Gaspare, & Donato, ex vrbe rediÿsse, quò propter sua quædam negotia se contulerat, dum inter nos colloqueremur. Age igitur, inquit Primus, ad prandium accedamus, ne viri nobilißimi, atq; optimi, nos diutius expectent: nam me hoc triduo in vestra fore potestate spondeo, vt etiam si nucibus me ludere volueritis, non recusem. illud vnum doleo; quòd omnes in vnum Maioragium conspirasse videbimur, si omnes de Cicerone suo detraxerimus. His dictis statim ipse Primus, vt erat primus exurrexit, deinde nos cæteri omnes, & ad Fannianos, qui nos in porticu quadam ad Aquilonem versa inambulantes expectabant, vnà ire perreximus. Sed inter eundum appræhensa manu mea Mar-

cus

cus, summa quadam comitate, atq; vultus hilaritate, me rogabat, ne ægrè ferre vellem, quòd ipse in Ciceronem quasi declamandi autor extitisset: id enim se fecisse aiebat, non alia de causa, nisi vt aliquid à me eliceret, vnde proficere, atq; eruditior fieri posset: neq; se existimasse futurum, vt cæteri quoq; prouinciam eandem impugnandi Ciceronis sua sponte susciperent. Cui cùm ego dixissem, non tantùm non molestam, sed etiam maximè iucundam eius mihi orationem fuisse: quoniam vidissem eum & ingenium, & artem, & doctrinam maiorem, quàm in eo esse putabam, ostendisse, vehementer mihi lætari visus est. Interea iam ad porticum veneramus & consalutatis Fannianis maximè hilari vultu ab eis excepti sumus. Sed pòstquàm exempta fames epulis, Quid, inquit Lancillotus, hodie in hortis tandiu cōmorati estis Primè? nam ego vrbem ingressus multa negotia expediui: deinde cum his fratribus meis reuersus, in eodem adhuc vos loco sedere audiui. An fortasse vobis molestus fuit Marcus meus, scio enim quantopere soleat in literis esse curiosus, vt sæpenumero non tantùm venationis, armorum, equitationis, quæ studia nobilitatis esse solent, sed etiam cibi, quòd interdum doleam, obliuiscatur: neq; quemquā nactus paulò doctiorem dimittit, donec illum satietate defessum viderit: nam ipse nunquam de literis agēs satiari videtur, atq; hac de causa

procul eum ab vrbe remoueo, ne nimio fortasse literarum studio graue aliquid patiatur. Nobis'ne molestus Marcus tuus? inquit Primus: quem ego summa cum admiratione, noua quædam, atq; ante hunc diem inaudita, contra parentem illum Romanæ linguæ Ciceronem hodie disputantem audiui. Tunc ridens Lancillotus, Fieri'ne potest, inquit, vt filius meus contra Ciceronem aliquid dixerit: quem semper habet in manibus, quem vnum auctorem maximè suspicit, quē ad astra tollit, quo vno nomine se plurimum huic Maioragio debere fatetur, quoniam ab ineunte pueritia nullum ei, præter Ciceronem, per tres annos auctorem interpretatus sit. Quid? quòd omnia Ciceronis volumina quatuor aut quinq; typorum generibus excusa coëmit? & quod interdum perquam suauiter rideo, non eis contentus, etiam manu scripta sibi quæri mandat, perinde quasi librorum eiusdem generis multitudo poßit eum doctiorem efficere, neq; vnum Ciceronis volumen ei satisfacere poßit. Tunc Marcus, Dic quæso, inquit, mihi pater, sunt'ne equi omnes eiusdem generis, & enses, & ephippia? Quid hoc ad rem? inquit ille. Nihil, ait Marcus: sed responde. Tum Lancillotus, Sunt, inquit, fili: sed quorsum hoc interrogas? Vt à te causam inuestigem, inquit Marcus, cur non eodem modo tu vno equo, vno ense, vno ephippio contentus sis, quemadmodum me iubes vno Ciceronis

volumine contentum esse. Hic omnes arrisere, atq; in primis Lancilloti frater Donatus, qui equorum maximè studiosus est, & plures semper, atq; eos nobilissimos habere studet. Qui cùm hæc audiuisset, Verum est, inquit, Lancillote, nullo modo fieri potest, vt qui aliqua re delectatur, is vna tantùm eius generis contētus esse poßit. Nam si quis fortasse princeps vnicum tantùm equum me habere iubeat, omnino mihi vitam esse acerbam putem. Esto inquit Lancillotus, viceris Marce, modò ne tuum istud tam acre studium, valetudini corporis obsit. Deindè ad me conuersus, Quomodo tandem hoc, inquit, aut quo animo Maioragi tulisti? quòd discipulus tuus, quem à te scio amari plurimum, in ciceronem tuum inuectus sit? Non ægrè sanè, inquam ego: quin potius Marci ingenium, atq; acumen tacitè mecum exosculatus sum, & incredibilem ex eius disputatione cepi voluptatem, quod istis certè consobrinis meis nunquam persuadere possem. Nam vt hoc etiam intelligas Lancillote, decreuerunt hoc triduo contra Ciceronem perpetuò declamare: quòd non tantum exercēdi ingenij gratia, (quid enim Primus exercitationis indigeat? qui iampridem studio & labore tantum effecit, vt in trium linguarum Latinæ, Grecæ & Hebrææ cognitione nemo superior, paucißimi autē pares hoc tempore reperiantur) quantum, quòd se mihi rem ingratam facturos arbitrātur,

vt ipsi

vt ipsi deinde inter se rideant, ego verò solus doleam. Hinc illæ lachrymæ Franciscus inquit: nihil est quod dißimules Maioragi, nam tua te oratio prodit, neq; dißimulatum quicquam, vt ait Cicero, potest esse diuturnum: ego certè quod pollicitus sum, vel in præsentia, vel quando magis Marco libuerit, audenti animo præstabo, & nisi me fallit animus, secundum Ciceronis Paradoxon penitus euertam. Hic Lancillotus suauiter ridens, Forti animo (inquit) esto Maioragi, neq; te perturbet horum adolescentium iuuenilis ardor: sed in præsentia melius est paulùm quiescere, donec se calor frangat: ad institutam autem disputationem reuerti poteritis hodie vesperi: nam interim arma Franciscus præparare poterit, quibus Ciceronem confodiat: vos autem reliqui, quoniam id temporis est valetudini operā date. Quæ cùm dixisset, exurrexit, & cum fratribus suis ad sua se domestica negotia contulit. Primus autem, & Antonius, proximam in cœnationem, vbi lectus magnificè constratus erat, meridiatum accesserūt. Me verò Marcus, quoniam sciebat meridiari non solere, apposito alueolo, ad latrunculorum ludum inuitauit: quo sanè ludi genere, quoniam ingeniosum est, et pugnæ quandam speciem repræsentat, statim à cibo, cùm negotijs vacuus sum, delectari soleo. Tres igitur, atq; amplius, horas ludendo & colloquendo cum Marco meo consumpsi: nam

etiam inter ludendum aliquid à me continenter exquirebat, quod ad eruditionem facere videretur: tanta est in eo adolescente discendi cupiditas. Franciscus verò, vt existimo, non enim aduerti quò proficisceretur, totum illud tempus in meditando, atq; in excogitandis argumentis consumpsit: nam id temporis Dialecticæ studijs, operam nauabat, quamuis iam aliquos in Philosophia progressus, in ea præsertim, quæ ad mores attinet, effecerat; nam fratrem suum Primum in ea re doctissimum præceptorē habuerat. Cùm itaq; Marcus, & ego, ludo relicto, atq; inambulantes in porticu duo, tria'ue spatia confecissemus, venere Primus et Antonius, qui postquam aqua recenti faciem, os, atq; manus abluissent, Quid, inquit Primus, nobis agendum est Marce, nam hoc triduo auctoritati tuæ parere decreuimus, etiam si nos iubeas equitare in arundine longa, quod ait Horatius. Quid aliud, inquit Marcus, nisi vt de literis agamus: nullam enim ego maiorē voluptatem excogitare scio. Quare vel Franciscum promissa præstare compellamus, vel si magis libet, aliam aliquam disputationem instituamus: nihil enim ego moror, qua de re agatur, modò proficere aliquid atque addiscere poßim. Minimè verò, inquit Primus, neq; enim aliud agendum arbitror: sed vrgenda est illa in Ciceronem disputatio, ne hoc tantum gaudij Maioragio detur, si præter eius spem ab oppugnando

gnando Cicerone discesserimus: nisi fortè, dum nos meridianum somnum cæpimus, te vel munere aliquo, vel pollicitatione subornauit, vt aliquid aliud tractandum proponeres. Quid, inquam ego, Prime? putas'ne, quamuis hactenus tacuerim, me ægrè ferre, quòd ab eruditis illis quidem, sed tamen cupidis, & ab ætatis feruore distractis adolescentibus Cicero reprehendatur? An ex tanti viri auctoritate quicquam ab istis adolescentulis detrahi potest? Me certè magis illud mouet, quòd te quoq; pollicitus es contra Ciceronem aliquid esse dicturum: quod si facere conatus fueris, inueniam certè (quemadmodum apud Platonem ait Euthyphron) qua parte debilis infirmusq; sis. Noli enim sperare, te sic impunè abiturum, siquid in Ciceronem hiscere ausus fueris. O diem, inquit Marcus, mihi lætum, & optatum, si duo vos, quos omnium mortalium plurimi facio, & maximè suspicio, congredi videam, & de literis concertare. Nō enim fieri poterit, quin multa pulchra & præclara sim auditurus. At hoc, inquit Primus, tibi Marce nequaquam sperandum est: nam in Ciceronem ea dicturus sum, quæ non modò Maioragius iste noster, sed ne ipse quidem Cicero, si reuiuiscat, defendere poßit: quoniam quæ in tertio Paradoxo sunt à Cicerone pertractata, sunt omnia falsa, atq; à veritate longè aliena. Neque verò te præterit, eam esse veritatis naturā, vt quam-

uis acutis rationibus, atque argumentis verisimilibus oppugnari, nunquam tamen neq; expugnari, neq; labefactari possit. Sed ecce, inquit, frater meus Franciscus alacris venit meditatus alicunde ex solo loco, orationem sperat inuenisse se, qua Ciceronem differat: illum igitur, si libet, audiamus. Iam in me nulla mora est, inquit Franciscus: adsum, vt videtis: tu Marce quid fieri vis impera. Sedeamus, inquit Marcus, sic enim commodius & tibi dicere, & nobis quæ dixeris audire licebit. Ibi statim omnes ijs in sedibus, quæ sub porticu erant, cõsedimus. Tum Franciscus: Magnum, inquit, onus, & longè difficilius, quàm putaram, me suscepisse video: nam te dicente, Marce, multa mihi in mentem veniebant, quibus ostendere posse existimarem, nequaquam verum esse, quod in secundo Paradoxo probare Cicero conatur, Seipsa contentam esse virtutem ad beatè viuendum. At verò postea quàm totam rem diligentius animaduerti, cognoui longè difficilius esse, secundum hoc euertere, quàm primum illud, quod tu facillimè Marce refutasti: quod sanè perquam incommodè accidit, vt ego, qui te in disputando longè sum inferior, id quod difficilius est, & longè veri similius, impugnandum susceperim. Sed quoniam hoc ipse mihi onus, nullo cogente, imposui: quauis ratione, etiam si nemo alleuet: illud perferre contendam. Sequar igitur tuum Marce ordinem

dinem in disputando, quoniam longe mihi pulcherrimus videtur, vt primo doceam, hoc Paradoxon, nequaquam esse Socraticum: deinde non esse verum: tum nullum esse in hoc Ciceronis capite argumentum, quod acutè conclusum esse videatur. Primùm igitur, quod ait Cicero, Se ipsa contentam esse virtutem ad beatè viuendum: idem ferè dicere videtur, quòd in primo Paradoxo dixerat, Nihil esse bonum, nisi quod honestum. Virtutem enim & Honestatem eandem esse, nemini dubium est. quòd si tantum ea, quæ ad felicitatem prosunt, bona sunt, & virtus sola beatum efficit: ergo sola virtus est bona. Quod idem esse, ac si quis dicat, Quod honestum est, id est solùm bonum, quis non videt? Quare quæcunq; Marcus ingeniosè contra hanc sententiam disputauit ad hoc caput euertendum referri possunt. Sed ne videar Geometrarum consuetudinem sequi, qui semper antè probatis ad sequentium probationem vtuntur, noua quædam alia mihi sunt proferenda. Illud tantùm dicam, Quòd si virtus propter finem aliquem expetitur, quod nemo sanæ mentis negare audeat, nullo modo verum esse potest, vt per se sufficiēs sit ad beatè viuendum. Differt enim plurimum (vt ingeniosè Marcus declarauit) id quod expeti debet, ab eo cuius gratia debet expeti: virtus autem propter felicitatem quæritur: non igitur est eadem virtus, quæ felicitas. Quo fit, vt per se

virtus beatum virum efficere non poßit, cùm aliud quiddam à felicitate virtus ſit. Verùm hæc poſterius à nobis alio in loco clarius, & copioſius explicabuntur. Nunc illud doceamus, nequaquam hoc effatum cum Socratis ſententia conuenire. Sed quem huius rei potißimum teſtem adducam? Primùm, ipſum Ciceronem contra ſeipſum teſtimoniũ dicere cogam: deinde Socratem aliter clamantem, quàm quod ait hoc loco Cicero, audietis. Quid igitur ait Cicero? perlegite librum illum qui Academicarum quæſtionum inſcribitur, ibi ſanè inuenietis à Cicerone explicatum, quæ Socratis fuerit, & Socraticorum omnium de ſummo bono ſententia. Nam idem omnino eſſe putat Cicero, Bene, beateq́; viuere, & Felicem eſſe, & ſummum bonum eſſe conſecutum: quod etiam nos verum eſſe concedimus. Hæc igitur Ciceronis verba ſunt cùm de Socraticis loqueretur: Primam partem illam bene viuendi à natura petebant, eiq́; parẽdum eſſe dicebant: neq; vlla alia in re, niſi in natura, quærẽdum eſſe illud ſummum bonum, quò omnia referrentur. Videtiśne, vt Socrates non in virtute, ſed in natura ſummum bonum, atq; felicitatem quærẽdam eſſe exiſtimet? quod quamuis ſine virtute fieri non poßit, non tamen ideo ſequitur vt in virtute ſit felicitas. Verum vt in hac re dicam ingenuè quod ſentio, non mihi videtur Cicero Socratis atq; Platonis ſententiam percepiſſe: cùm

enim ait Socrates, In natura summum esse bonum: non ita intelligendum est, quemadmodum fecisse videtur Cicero, quasi in ipsius hominis natura sit illud summum bonum: hoc enim apertissimè falsum est: nam hac ratione cuncti mortales, quamuis improbi, atque conscelerati sint, beati essent, atq; felices, si in eorum natura summum esset bonum. Sed certè naturam diuinam Socrates intelligit, in qua sine cõtrouersia summa felicitas est, atq; beatitudo: de qua vir sapiens Cato, Naturam, inquit, optimam ducem, tanquam Deum sequimur. Nam sæpissimè, apud nostros etiam autores, idem est Natura quod Deus, quod eò carmine declarat Ouidius:

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Quòd longè apertius, atq; explanatius, quarto libro de Beneficijs Seneca docet, his quidem verbis: Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cùm hæc dicis, mutare nomen Deo? quid enim aliud est Natura, quàm Deus? & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta? Hoc autem obscurius quidem, sed ita tamen, vt intelligi possit in Sophista Plato ostendit: docet enim cœlum, astra, homines, cæterasq; animantes, & quæcunq; è terra gignuntur, non Naturæ fortuitæ opera esse: sed eius Naturæ, quæ cum ratione, scientiaq; diuina operetur, & quæ ab ipso Deo sit orta. Quamobrem naturam hanc diuinam, quam ortam à

Deo Socrates ait, ipsum esse Dei filium, de quo Marcus in disputatione sua quædam præclarè dixit, intelligendum est: quam Socratici diuinam Mentem, nos Christum appellamus: in hoc enim solo vera felicitas, & summũ illud bonum est, quod quærimus: hæc enim ea Natura est, quæ ab immortali Deo sempiternis seculorum ætatibus progenita, res omnes ex confusione illa inani, de qua Moses initio sui operis meminit, in lucem produxit, & bonitatis, atq; naturæ suæ participes eas effecit. Hanc igitur Mentem, hanc sapiẽtiam perfectam, hanc rationem sempiternam, hunc Dei filium, hanc Dei prouidentiã (nam his omnibus nominibus Naturam hanc à Platonicis appellari, me frater Primus docuit) spectare semper, atq; sequi debemus: propterea quòd in ea sola beatitudo sit collocata: cui si nos quã simillimos efficere studuerimus, tum demũ nihil deerit nobis ad benè, beateq; viuendum: hoc autem per virtutem effici commodissimè potest. Quò fit, vt medium quoddam sit virtus, atq; via recta, per quam ad felicitatem veniamus. Et quoniam ad hanc viam, atq; honestè, beneq; viuendi rationem, nonnulla quoq; alia, præter ipsam virtutem, conducere videntur, ideo noluit Socrates virtutem per se esse contentam ad beatè viuendum: sed constituit, (vt ait in Academicis Cicero) extremum esse rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum esse omnia è na-

tura, & animo, & corpore, & vita. Quòd si quærimus ex Socratis sententia, quænam vna res sit, quæ per se contenta esse possit ad bene beateq; viuendum: non eam esse Virtutem inueniemus, sed Sapientiam: nam in Euthydemo clamat apertè Socrates, à sola sapientia felicem ac beatum hominem effici: quod idem in Alcibiade primo confirmat, cùm neminem beatum esse, nisi sapientem concludit. Hæc autem sapientia, quæ eadem cum felicitate, vt in Euthydemo legimus, quæ sola beatos homines efficit, nihil aliud est, quàm Mens illa diuina, Deiq; filius: quæ (vt ait etiam Cicero) perfecta sapientia nominatur. Atq; hinc est, quod in Phædri postrema parte Socrates concludit, Deum solùm propriè sapientem dici: homines verò, qui Dei cognitionem inuestigant, non propriè sapientes, sed amatores sapientiæ. quod idem est, ac si diceret, Dei amatores rectè nũcupari. Iam igitur profectò videtis, in hoc decipi Ciceronem, quòd ex Socratis sententia virtus seipsa cõtenta sit ad beatè viuendum: non enim in sola virtute, sed in sola sapientia collocatam esse beatam vitam Socrates existimat. Alioquin Mens illa diuina, atque Deus ipse, beatus non esset: quoniam in Deo virtus non est, licet sit sapientia. Quid autem à virtute sapientia differat, nemo vestrum est, opinor, quin intelligat: nam Virtus est habitus animi rationi cõsentaneus: Sapientia verò

est

est cognitio diuinarum atq; humanarum rerum. Atq; omnis Virtutis laus in actione consistit, vt in officijs ait Cicero: Sapientiæ verò tota laus est in cognitione. At verò felicitas ea, de qua nos loquimur, nequaquam in actione, sed in sola Dei cognitione sita est, quemadmodũ apertè declaratum à Socrate in Theæteto legimus. Bonæ autem actiones, quæ virtutũ propriæ sunt, ad ipsam nos sapientiã perducere solent, quæ vera est animi felicitas, quam nobis illa summa Sapientia (quæ, vt diximus, Deus est) elargitur. Atq; hæc quidem de prima parte dicta sint. Sequitur vt ostendere aggrediamur, Paradoxon hoc minimè verum esse posse: quæ sanè mihi pars longè facillima erit, quoniam Socratis sententiam verissimam esse iudico: à qua cùm Ciceronis conclusio discrepet, necesse est, vt etiam à veritate sit aliena. Quod vt facilius ostẽdere possim, in arcem statim causæ conscendam. Cùm enim omnis nostra vis in animo & corpore sita sit, vt ait Sallustius: & corpus cum belluis, animum cum Dijs communem habeamus, videndum est, vtrum in corpore, an in animo felicitatem statuamus: & si in animo, vtrum dum est in corpore, felix esse possit: an potius illud tempus expectandum sit, donec è corpore, tanquam è vinculis, atque carcere migrauerit: & in patriam suam reuersus, nihil amplius sit, quod eum perturbare possit. Sed neminem esse arbitror tam

ſtupidum, tam rerum ignarum, & tam expertem veritatis, qui hominis felicitatem in corpore ſtatuat: nam hæc quidem pecudum vox eſſe videretur, non hominum: atq; boues, equos, aſinos, ſues, quod animantium genus plerunque robuſtius corpus habent, quàm homines, eſſent etiam beatiores: quod quàm ridiculum ſit, nihil attinet diſputare. Rectè enim Ariſtoteles, primo Ethicorum, nec bouem, nec equum, nec aliud animal vllum beatum eſſe poſſe dicit: quoniam nullum eorum eius actionis, quæ virtuti congruat, per quam ſolam ad felicitatem aditus eſt, particeps eſſe poteſt: ob eamq; cauſam ne puerum quidem eſſe beatum, quippe qui per ætatē, inquit, ad eam vitæ actionem nondum ſit idoneus. Nequaquam igitur in corpore felicitas, ſed in animo eſt. Oportet enim eum, qui beatus futurus ſit, maximam virtuti operam dediſſe: ſic enim beatam vitam facilius aſſequetur. Sed Virtutem dicimus hominis, inquit Ariſtoteles, non quæ corpus, ſed quæ animū attingit humanum: Beatamq; vitam animi actionem nominamus. Nam corpus quidem quaſi vas, atq; animi receptaculum eſt: & apud Græcos id nomen corpus ſortitum eſt, quòd ſit quaſi animi ſepulcrum, quemadmodum in Gorgia, atq; in Cratylo Socrates declarat: hocq; nomen ab Orpheo poſitum exiſtimat, eo quòd quaſi ſepultus animus in corpore ſit, neq; vim ſuam in eo poßit explicare. Atq;

hoc est, quòd ait in sexto Vergilius, Omnes animi perturbationes à corpore prouenire, quoniam in corpore sit inclusus animus, tanquam in tenebris & carcere cæco. Et in Phædone Socrates, nobis magnum impedimentum esse corpus, ostendit, ad intelligentiam, atq; prudentiam acquirendam. Quin etiam in eodem Dialogo docet idem Socrates, Quoties à corpore trahitur animus ad hæc commutabilia, & caduca, quæ subiecta sunt sensibus, errare, decipi, obstupescere, et quasi ebrium fieri, vt nullam amplius veritatem, nullam honestatem, nullam deniq; rem se dignam inuestiget. Animus est igitur, qui viget, qui sentit, qui intelligit, qui quò magis à corpore sese abstrahit, eò prudentior atq; sapientior euadere solet. Sed non est quod in hac quæstione diutius commoremur: nam etiam ipse nobis facilè concedet Cicero, nequaquam in corpore, sed in animo beatam esse vitam. Videndum est igitur, quoniam in animo felicitas est, Vtrum donec huic corpori copulatus est animus, beatus sit: an potius, pòstquàm à corpore discesserit. Atq; huius quidem quæstionis facillima erit solutio, si relicta Aristotelis peruersa opinione, Socratem, Platonem, Ciceronē ipsum, religionem ac fidem nostram, omnes deniq; sapientes viros secuti fuerimus, omnes enim ad vnum clamant, & aperta voce testantur, nullam in hac vita veram felicitatem esse posse: sed animis nostris ab immortali

Deo, cùm ex hac vita discesserint, omnem donari beatitudinem. Audite, quæso viri optimi, quàm sanctas, & religiosas ex Phædone sententias, dum eum Dialogum perlegerem nuper, excerpsi: nam in eò Dialogo Socrates, cùm paulò pòst sibi moriendum esse intelligeret, multa præclarè atq; diuinitus de animi immortalitate disputauit: hæc autem, quæ ad hanc sententiam pertineant, annotaui: Rectissimè, inquit, hoc mihi dictum videtur, quòd Dei nostri curam habeant, & quòd homines vna quædam Deorum possessio sint: nam hoc siquid aliud affirmando ego contenderem moriētes nos ad Deos tanquam ad optimos dominos accedere, longeq; ibi melius esse bonis, quàm malis, sensuū obscura sunt iudicia, & incerta, vt nihil in hoc corpore perfectè audiamus, nihil videamus. Tunc anima veritatem intelligit, quando maximè abstrahitur à corpore. Omnes autem seditiones, atq; pugnæ, propter corpus excitantur. Siquid rectè cognoscere volumus, à corpore discedendum, & ipso tantùm animo contemplandum. Nihil enim rectè intelligit homo, nisi post mortem: nam mortuorum animæ supersunt, & bonis melius est, malis peius. Cùm animus à corpore trahitur ad ea cogitanda, quæ sub sensum cadunt, decipitur, & conturbatur: cùm autem per cogitationem à corpore seiungitur, & æterna consyderat, statim ab errore liberatur. Corpori enim na-

tura

tura præscribit, vt seruiat, & subditum sit imperio: sed animo, vt imperet, ac dominus sit. Si purus, atq; immaculatus, à corpore discesserit, ad sibi similè diuinum numen accedit, vbi beatus cum Dijs æuo sempiterno perfruitur. At verò impurus animus, & inquinatus per insolentiam, quæ sunt æterna videre non potest: sed terrena quadam & graui materia pressus, circa monumenta & sepulchra versatur. Quò fit, vt interdum animorum quædam phantasmata, & simulachra nobis appareant. Nam ad Deos nemo, nisi sapientiæ studiosus, & omnino purus, atq; discendi cupidus accedere potest. Itaq; cùm animus sit immortalis, diligentißimè curari debet, non enim mala fugere poterit, nisi sit optimus, & prudentißimus. Qui verò sanctè, atque religiosè vixerit, statim in beatorum sedes aduolat. Hæc omnia Socratis dicta, quasi vno fasce complecti volui, quoniã eò spectant omnia, vt intelligamus, in hac vita, dum affixus corpori animus est, nullam esse beatitudinem: sed cùm in æternam illam domum commigrauerimus, tunc demum nos beatos futuros. Nam si velim hoc loco in hominũ vitam declamare, & commemorare, quot miserias, & calamitates viuendo patiamur, quamq; sit incerta, fragilis, & mutabilis ea, quæ prospera videtur fortuna, non sanè me effecturum sperarem, quod Hegesiam Cyrenaicum virum eloquentißimum efficere

ſolitum tradunt, vt qui eum audirent, pleriq; ſtatim ſibi mortem conſciſcerent: quo nomine prohibitus à Ptolomæo dicitur, ne huiuſmodi orationem haberet: ſed illud certè efficerem, vt nemo veſtrum ſe felicem, dum viuit, exiſtimare poſſet. Rideat igitur quantum voluerit impius Ariſtoteles Solonis eam præclaram & uulgatam ſentētiam, quam Ouidius his verbis explicuit:

-Sed ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt: diciq; beatus
Antè obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Ego certè veriſsimam eſſe ſemper exiſtimaui. Quod ſi eadem eſt Sapientia quæ Felicitas, vt ex Socratis ſententia ſuperius probauimus: neq; animus, dum eſt in corpore, omnino ſapiens eſſe poteſt, quemadmodum apud Ciceronem Cato maior rectiſsimè cenſet, cuius hæc ſunt verba: Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos dum in corporibus eſſent mortalibus, viuere: cùm exijſſent ex ijs, emori: nec verò tum animum eſſe inſipientem, cùm ex inſipienti corpore euaſiſſet: ſed cùm omni admixtione corporis liberatus, purus & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem: profectò dum in corpore eſt animus, beatus eſſe nullo modo poteſt. Beatitudinem enim eam appellamus, quæ eſt, ſecretis malis omnibus, cumulata quædam bonorum complexio: quemadmodum in quinto Tuſcula-

narum quæstionum Cicero definire videtur: quem librum sanè doctissimum, & elegantissimum oratio Marci, & hæc mea totum subuertit. Nihil enim agit ibi Cicero, nisi vt ostendat, Quod honestum est, id esse solùm bonum, & Virtutem ad beatè viuēdum seipsa contentam esse: quod etiam duobus his primis Paradoxis ostendere conatur: quæ nullo modo vera esse possunt, nisi quis probet, animum dum in hoc corpore viuit, felicem ac beatum esse posse: cùm enim excesserit è corpore, non amplius iustus, fortis, temperatus dicetur, quoniam hæc ab humanis actionibus nomina proueniunt: Sed vel beatus, si dum esset in corpore virtuti, atq; honestati sese tradidit: vel miser, si vitia secutus est. Animus igitur à corpore liberatus, non amplius virtutem exercere potest, neq; aliquid eiusmodi agere, propter quod vel præmium vel pœnam mereatur: sed si virtutis viam, dum in corpore viueret, amplexus est: tunc, quasi præmium laborum, post mortem beatitudinem consequitur. Non est igitur in virtute beata vita, sed in virtutis præmio: quam cùm quis semel adeptus est, nunquam amplius amittere potest. At verò dum viuit homo, plurimis miserijs, & calamitatibus conflictatur: & quamuis vir probus, atq; omni virtute præditus aliquo tempore fuerit, potest tamen (vt ait in Protagora Socrates) immutata voluntate sese improbitati, atq; nequitiæ dedere: atq;

atq; ita ex beato miser iterum efficietur, quod ineptissimum esse quis non videt? Non enim chameleontem quendam (vt in primo Ethicorum ait Aristoteles) beatum virum esse volumus, sed talem, qui nunquam amplius miser esse poßit: quod pluribus in locis, & præsertim in Tusculanis quæstionibus, Cicero confitetur, Nos scilicet beatos eo tempore futuros, cùm è corporibus elapsi, spe, metu, lætitia, cupiditate carebimus. Et Atheniensis hospes apud Platonem in Epinomide, qui locus maximè nostram hanc sententiam confirmat, non fieri posse, inquit, vt in hac vita homines felicitatem, ac beatitudinem assequantur: bonam verò spem nobis esse debere, vt post mortem ea omnino consequamur, quorum desyderio accensi, vitam optimè pro viribus exegerimus. Nostris autem legibus, idest Christianis, hoc adeo clarum, atq; exploratum habetur, vt siquis de futura vita, atq; æterna felicitate fortè dubitet, vitamq; beatam in præsenti vita constituat, illi statim sacris interdicatur, & in numerò impiorum, atque sceleratorum habeatur: ab eo omnes decedant, aditum eius, sermonemq; defugiant, nequid ex contagione incommodi accipiant: neq; illi petenti ius reddatur, neq; honos vllus communicetur: quòd si diutius in eadem opinione perstiterit, neque respicere voluerit, publico iudicio condemnatus, igni viuus vidensq; cremandus traditur. Hoc autem genus

nus hominum Græco vocabulo, quod à maioribus nostris accepimus Hæreticos appellamus. Statuerunt enim maiores nostri, religiosissimi, atq; sanctissimi viri, vt omne studium, omnem operam, curam, diligentiam, in vna quidem honestate ponamus. Sed tamen vt intelligamus, quamuis omnes virtutes quis adeptus fuerit, donec vixerit, eum beatum esse non posse: verùm tunc omnes fore beatos, cùm ad Deum illum nostræ salutis auctorem, relicto corpore, peruenire poterimus. Quæ nostra persuasio sic cum Socratis atq; Platonis sententia implicata est, & cohæret, vt eadem omnino esse videatur. Si igitur virtus tantùm in hac vita reperiri potest, quoniam mortui neutiquam amplius eam exercent, felicitas autem in viuentibus esse minimè potest, sed in ijs tantum, qui ex hac vita iam excesserunt: profectò nemo verè concludere potest, in vna virtute positam esse beatam vitam. Cur igitur (inquiet aliquis) Plato multis in locis bonos viros beatos, improbos miseros appellat? sicut in Gorgia Socrates affirmat, cuius hæc verba quinto Tusculanarum Cicero transtulit: Tu igitur'ne de Persarum quidem rege magno potes dicere: beatus'ne sit? an ego possum, cùm ignorem, quàm sit doctus, quàm vir bonus? quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? Ita prorsus existimo, bonos beatos, improbos miseros, miser ergo Archelaus? Certè, si iniustus. Rursus in libro

libro de Repub. nono, optimum & iustissimum virum, felicissimum esse concludit: pessimum verò miserrimum. In Alcibiade primo circa finem prudentem solùm atq; bonum virum felicem esse ait: improbum miserum. In Charmide hoc idem repetit, Eos scilicet, qui recta, atq; honesta sequuntur, felices esse, quòd etiam primo de legibus obseruauimus, alijsq; in locis plurimis: hoc idem in suis de Philosophia libris in ore semper habet Cicero, nostræq; leges confirmant.

Quòd ita intelligendum esse censeo: quoniam ex ijs, quæ superius à nobis dicta sunt, satis apertè declaratum est, neminem in hac vita felicem esse posse, quoties virum bonum beatum dicimus, improbum miserum, ob spem, atq; expectationem, quam de se concitant, illum felicem, hunc miserum appellari, vt regis filium Principem appellare solemus, non quia sit iam, sed quia futurus est Princeps. Et præterea quoniam ad felicitatem virtus viam præmunit, vitium autem ad miseriam, qui virtutem amplectuntur, rectè beati dicuntur: qui verò vitium, miseri. Vt siquis ad conuiuium aliquod præclarum, atq; regium inuitatus, ad quod non nisi per viam vnam accedere posset, certè cùm primùm viam illam ingressus fuerit, etiam si nondum sedeat in conuiuio, iure tamen optimo regius conuiua dicetur, si verò per aliam viam progressus, ad regiam domum nunquam sit peruenturus, in eo sanè

quòd

quòd iam aberrauit, conuiuio illo priuatus rectè dici potest. Eodem modo Beati dicuntur in euangelio, qui multas perferunt iniurias, quibus pleriq; homines maledicunt, qui propter iustitiam in varias calamitates incidunt: non quia beati iam sint. nam quæ potest in calamitatibus atq; miserijs esse beatitudo? sed quia propter eas, quas honestatis gratia tolerant iniurias, æternam sint felicitatem consecuturi. Neq; tamen quisquam à me existimet virtutem suis ornamentis, atq; sua laude spoliari, quamuis in ea non esse positam beatam vitam ostendere contendam: satis est enim hæc magna virtutis laus, atq; excellentia, quòd nulla via, nullus aditus ad felicitatem, nisi per eam inueniri possit. Sed tamē quemadmodum recta via plurimùm ab eo loco, quo progredimur, differre solet: ita etiam virtus, quæ ad beatitudinem vna via est, vt plurimū ab ipsa beatitudine differat necesse est: & sicuti ea, quorū gratia solemus aliquid agere, non in ipsis actionibus sita sunt, sed finis ab eo necessariò differt, quod ad finem dirigitur: ita etiam felicitas, cuius gratia virtutem amplecti solemus, nequaquam in ipsa virtute sita esse potest. Ex quibus omnibus illa summa conficitur, hanc Ciceronis conclusionem quòd virtus seipsa contenta sit ad beatè viuendum, neq; Socraticam esse, neq; veram. His dictis paulum Franciscus conquieuit. Tum Antonius, Equidem, inquit,

Franc

Francisce frater, si proximè cùm Marco fuisses, hæc inter vos diutius commentatos fuisse crederem, adeo ista tua oratio cum Marci oratione & tantopere conuenit, vt ne ouum quidem (quod aiunt) ouo tam similè videatur. Sed cùm per hosce proximos menses nobiscum fueris, & operam Dialecticæ dederis, miror vnde tibi ista tam multa, & tam præclara hauseris.

Quasi verò (inquit Franciscus) nescias domi nos Magistros habere præclarißimos, & me non omnino pigrum, neq; inertem. Teneo, inquit Antonius: ab eodem fontè tu hæc hausisti, vnde & Maioragius, & ego iampridem plenos haustus excepimus: nam cõmunem omnes Primum hunc fratrem magistrum habuimus: sed ego sanè nihil, neq; (vt opinor) Maioragius, quod ad Platonicam disciplinam attineat, à Primo didicimus: refugit enim, nescio quò pacto, Primus ab istis Philosophorum decretis, atq; in vna Christiana religione conquiescit. Sed quomodocunque tu Francisce didiceris, mihi certè plurimùm arrident, et quoties per occupationes licet, in suauißimis illis Platonis Dialogis memet nõ mediocriter oblectare soleo: quò tua mihi iucundior oratio fuit, vt hæc nostra collocutio, in qua quasi per iocum in Ciceronem declamare cœpimus, non paruam nobis vtilitatem allatura videatur, & omnino hæ nugæ (quemadmodum ait Horatius) seria ducent: Ridẽtem enim dicere verum,

quis

quis vetat? Quàm vera sint hæc (inquam ego) paucis diebus intelligetis. Nam si mihi vita supersit, faciam (vt ait Terentius) vt huius loci, dieiq; semper memineritis: doceboq; vos pueriliter verba consectari, cùm rem ipsam potius, & Ciceronis sententiam spectare debeatis. Hîc magnus omnium risus est consecutus, & Primus Certè, inquit, captus est Maioragius, habet: sed quid ad hæc respondeat, prorsus non habet: nam in hoc vno maximè Marcum & Franciscum admiratus sum, quòd licet eorum oratio, vt potè adolescẽtium paulò vberior, et quodammodo exultantior mihi visa sit, tamen nulla captione, nulla fallaci conclusione, nullo dolo penitus vsi sunt: neq; (vt eos vniquè repræhendit Maioragius) vlla verba consectati sunt, sed via quadam quasi naturali per totam disputationem suam processerunt, quæ disserendi ratio mirificè mihi semper placuit. Tunc Franciscus, Iure nobis, inquit, Marce, lætandum esse video, quòd nos in hac nostra tam audaci disputatione, tantus vir collaudarit. Itaque longè audacius pergam id etiam exequi, quod mihi reliquum est: sunt enim ipsius Ciceronis argumenta discutienda, quibus se probare putat, in vna virtute positam esse beatam vitam. Primùm igitur Ciceronis argumentum tale est: Regulus, cùm à Pœnis cruciaretur, nec ærumnosus, nec infelix, nec miser vnquam fuit: ergo in sola virtute posita est beata

vita. Hoc profectò Enthymema dupliciter falsum esse videtur: tum quia neq; probabilis, neq; vera assumptio est: tum quia necessariò non concludit: nam Aristoteles certè & ærumnosum, & infelicem in eo cruciatu Regulum existimaret: cuius in primo Ethicorum libro verba hæc notauimus: Neq; enim planè ad beatitudinem aptus est is, qui omnino deformis sit, aut ignobilis, aut qui vitam in solitudine degat, aut sit sine liberis, ac multo etiam minus forsan, sicui sint liberi improbi, vel amici boni è vita excesserint. Ergo (vt diximus) has prosperitates vita beata requirit. Et non ita multò pòst: Opus est enim, inquit, vndique (vt dixi) perfecta, completaq; vita: multæ enim in vita mutationes, varijq; euentus versantur: fieriq; potest, vt qui secunda fortuna sit vsus, is in maximas incidat calamitates in senectute, quod de Priamo ferunt fabulæ. Qui autem casus eiusmodi senserit, misereq; è vita migrarit, eum nemo duxerit in beatis. Hæc Aristotelis verba sunt, quibus intelligi facilè potest, miserum esse eum, qui in maximas calamitates inciderit. Sed Aristotelem in hac parte relinquamus, cuius à sapientissimis viris de summa felicitate reprobata sententia est: eam enim Aristoteles in præsenti vita constituit: cùm tamen manifestum sit, Neminem omnino, dum viuit, beatum esse posse. Quare concedamus, Regulũ dum à Pœnis cruciaretur, siquidem

vir

vir bonus erat, neq; infelicem, neq; miserum fuisse: quoniam & in Menone, & in nono de Repub. & in secundo de Legibus, & in Gorgia, & multis alijs in locis à Platone miseros eos appellari video, non qui calamitatibus oppreßi sunt, sed qui sese vitijs atque improbitati dediderunt. Veruntamen non statim sequitur, vt qui neq; miser, neq; infelix est, ille felix atque beatus sit. Est enim inter felicitatem & miseriam medium quiddam, in quo qui cõstitutus est, neq; miser, neque beatus dici potest. Non erat igitur miser Regulus, quippe qui virtutum præsidio munitus, magnitudine animi cruciatus illos superaret. Sed neq; beatus erat: nam quæ in tormentis, & cruciatibus esse beatitudo potest? Siquidem Beatitudo est, vt antea diximus, secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio. Cruciatus autem, & calamitates, & tormenta, vel Platone teste, mala sunt. Nemo igitur in tormentis, quoniam in malis est, beatus esse potest. Video enim in Gorgia Socratem affirmare, eum qui facit iniuriam infelicem esse: qui verò patitur minus quidẽ eo qui facit infelicem, sed infelicem tamen. Sed quoniam, vt dialectici nostri docent, quæ media sunt, vtriusq; extremi naturam participant: verißima potest illa esse distinctio, quòd vir bonus, cùm in tormentis est, quadam ex parter miser, et quadam etiam ex parte beatus sit: quatenus enim tormentis crucia-

enim is, in quo virtus sit, neq; ex fortuna pendeat, neq; mortis aut exilij minis terreatur, neq; inimicorum labefactetur iniuria: nunquam tamen his rationibus efficiet, vt in sola virtute sit beata vita. Quòd autem tam acriter in improbos inuehitur, quòd eos miseriæ & ærumnæ premãt omnes, quòd à libidinibus noctes & dies crucientur, quòd eos conscientiæ stimulent maleficiorum, quòd eos iudiciorum metus exanimet, quòd quocunq; aspexerint vt furiæ, sic illis suæ sibi occurrant iniuriæ: id quidem assequitur, vt eorum nemini benè esse posse existimem. Sed tamen hac ratione non cõcludit, quòd se demonstraturum proposuit. Itaq; totam illam extremam partem Ciceroni facilè, & libenter sanè condonarim, Bonum virum, & fortem, & sapientem, posse miserum esse neminem: & eius virtutem, & mores esse laudandos; & quicquid est laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum videri debere. Sed his argumentis contendo, nequaquam ab eo conclusum esse, virtutem seipsa contentam esse ad beatè viuendum: quoniam quod se ipso contentum est, nihil vltra amplius quærit: Sed virtus sapientiam, et Dei cognitionem quærit, vt antea probauimus: Non igitur virtus se ipsa contenta est. Præterea Socrates ait in Gorgia, Neminem esse, qui id solum velit, quod alterius gratia sequitur, sed vnũ illud omnes expetere, cuius causa reliqua etiam quærunt.

Verùm omnes viri prudentes, vt felices aliquando fiant, virtutem sequuntur: Non igitur ipsam per se virtutem assequi volunt, sed per virtutem beatitudinem expetunt, atq; illius tantùm gratia rectè, atque honestè viuunt. Quo fit, vt eodem semper reuoluamur, concludamusq; contra Ciceronem, se ipsa virtutem ad beatè viuendum nequaquam esse contentam.

Habetis meam de secundo Paradoxo sententiam, quæ ad Marci disputationẽ, quasi corollarium quoddam accessit: in qua vereor, ne fortasse me nimis dialecticum egisse putetis, quoniam ei studio vehementer (vt scitis) deditus sum. Rectè tu quidem (inquam ego) Francisce cõmemoras, nam Dialecticorum more probabilia tantùm sectatus es, nihil autem eiusmodi protulisti, quod mihi non facilè refelli posse videatur. Sed si placet iam ab ista disputatione discedamus, nam audiendi satietate defessus sum. Tum ridens Primus, Nulla est, inquit, tam iucũda, nulla tam vera oratio, quæ non cuiuis molesta atq; falsa videatur, si eam inuitus audiat. Nihil enim mihi horum adolescẽtium oratione, iampridem iucundius accidit, neq; verius visum est: tu autem Maioragi defessus es audiendi satietate: tibi nihil, quod verum sit, dictum videtur: tu rogas, vt ab hac disputatione discedamus, cur? nisi, quia molestè fers, accusari Ciceronem, & nihil habes quo possis eũ defendere: cùm te (si Dijs placet)

eius patronum vbique fore prædices. Verùm age, quoniam hodie satis videmur esse Philosophati, simul etiam ne Maioragium hodie postremum videamus, quæ reliqua sunt in crastinum diem reponamus, & simul exurgens inambulare cœpit in porticu, me autem solita sua comitate Marcus adijt: quippe qui vehementer timebat, ne fortasse grauius ego ferrem, quòd non tantùm accusaretur Cicero, sed etiam me Primus quodammodo deridere videretur. Et ne eo nomine minus hilarè me haberem. qui cùm benignè salutasset, omnia tibi, inquit, Maioragi hoc tempore societatis amore perferenda sunt, aliâs cùm volueris, tua illa dicendi spicula in vnumquenque nostrum distringito: nunc, quæso, te comem atq; hilarem præbe.

Ita faciam, inquam ego: neque enim aliter facere possum, cùm mihi tecum & cum his consobrinis meis esse licet. Eamus igitur, & quod huius diei reliquum est, in hac suburbani ruris amœnitate consumamus: cras verò Primum, & Antonium, sequentia duo capita impugnantes audiemus. Quandoquidem ita vobis placet ita fiat: quin vt hæc, siue Tragœdia, siue Comœdia dici debet, omnes actus suos habeat, cuperem duos alios ingenuarum artium amatores viros, siue adolescentes, adesse: qui duorum extremorum, quæ Primo et Antonio supererunt, Paradoxorũ euertendi prouinciam susciperent. Quod certè si auditum


in vrbe fuerit, nos hæc hodie, hoc in loco pertractasse, crastino mane aliqui ex auditoribus meis huc aduolabunt: sunt enim (vt te non præterit) hoc tempore plurimi Mediolanenses valde ingeniosi iuuenes, qui literarum amore, atque cupiditate mirificè flagrant, & qui iam plurimum in vtraq; lingua, atque in disserendi facultate profecerunt. Scio, inquit Marcus: atque vt verùm fatear, seruo meo mandaui, qui statim à prandio profectus in vrbem est, & Octauianum Arcimboldum, & Constantinum Abduensem auditores tuos omnino cras ad nos adducat: nullos enim huic disputationi duobus his aptiores fore arbitror: quamuis enim Octauianus iuri ciuili sit initiatus, tamen ex te Dialecticam didicit, & aliquam Philosophiæ partem attigit. Constantinus autem cùm ingenio polleat, & iam tres amplius annos te audiat, non fieri potest, quin multum profecerit. Bene (inquam) narras Marce, nam vtrunque plurimum ego diligo, itaq; eorum aduentus mihi gratißimus est futurus: neque me latet & acumine ingenij, & dicendi facultate, & scientia vtrunque præstare: vt non dubitandum sit, quin huic ambo disputationi plenè satisfacere poßint. His dictis, cùm iam Sol ad occasum inclinaret, domo egreßi, spaciandi gratia per viam regiam vrbem versus, vespertinam captantes auram, ad fossam vsq; peruenimus, quæ vrbis mœnia

circund

circundat, deinde iterum idem iter otiosè emensi, cùm iam hora noctis prima, æris campani pulsu significata nobis esset, cubitum omnes discessimus.

M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON LIBER TERTIVS.

*



OSTERO igitur die, quàm illa erant acta, cùm etiam tum ego in cubiculo essem, & apud me Marcus sederet, peteretq; nonnulla vt explanarem, quæ in Topicis Ciceronis sibi obscura videbantur, Primus autem cum Antonio & Francisco inambularet in porticu: ecce nuncius quidam à Sfrondato, viro illo clarissimo, atq; eminentissimo, quò plurimùm in serijs negotijs suis eo tempore Carolus quintus Imperator vtebatur: nunc autem ob singulares, atque eximias virtutes suas, à Paulo tertio Pontifice Romano in Cardinalium collegio summo cum omnium fauore adscriptus est. Is igitur cùm ibi Primum nobiscum esse audiuisset, statim ad eum misit, vt ad se veniret, habere enim se quædam haud leuia dicebat, quæ cum eo communicaret. Atque is certè nuntius animos omnium

nostrum, atq; in primis Marci perculit, quippe qui speraremus eo die Primum, se dignam orationem, hoc est doctissimam, et sanctissimam habiturum: est enim vir ita eruditus, vt nulla sit homine libero digna disciplina, quàm ille non plenè perceperit: ita religiosus, & veræ honestatis amator, vt ab omni tamen superstitione sit alienus: ita deniq; oratione suauis, vt ab eius ore, quod de Nestore Homerus prodidit, melle dulcior fluat oratio. Itaq; pleriq; omnes, qui Mediolani sunt viri principes, senatores, nobiles, quicunq; aliquid audire, atq; discere student, eius consuetudine mirificè delectantur. Atque ea de causa tum ad se Sfrondatus eum accersebat, vt quoniam à publicis negotijs vacuus erat, eius colloquio frueretur. Quod vbi ego audiui, commotus surrexi, & Magna, inquam, de spe deiecti sumus Prime, quòd tibi discedendum intelligo: cupiebam enim mehercule, quod tu fortasse nequaquam existimas, te contra Ciceronem, siue potius contra Stoicos, de peccatorum æqualitate disserentem audire. Non enim dubito, quin ex sacris literis, qua in facultatè neminem hoc tempore tibi parem inueniri arbitror, esses multa depromturus, quæ & audientibus nobis iucunda, & discentibus vtilissima essent futura. Tum ille, Nihil, inquit, detrimenti facitis Maioragi, neque enim ego quicquam eram noui dicturus: quippe qui nõ temerè sacra mysteria putem

esse

esse diuulganda, cùm de alijs rebus, & præsertim iocantes agimus, sed eo tantùm tempore cùm id vnum agimus: & Antonium hunc fratrem meum mihi substituam, qui longè felicius illas Ciceronis lecythos, & pigmenta illa orationis, quàm ego sectari solet.

Tum Marcus iuuenili quodam desyderio stimulatus, quoniam in spem audiendi Primi erectus totam ferè noctem illam insomnem egerat, flens perquam familiariter: neq; enim lachrymas oculis obortas continere potuit, tanquam attonitus Primum fixis oculis identidem aspectabat, neq; quicquam effari poterat. Quod vbi Primus aduertit, adolescentis illius tristitia quadam cum miseratione delectatus, Quæso, inquit, Marce iucundissimè, ne tantopere discessione mea doleas: scis enim, necesse mihi esse, principibus viris obsequi. Sed omnino tibi polliceor, his testibus, qui præsentes sunt, omnibus, me breui in Cerrianũ tuum cum Maioragio esse venturum: vbi dies aliquot ab vrbe remoti, neq; tale quid timentes, quale nunc accidit. commorabimur. Nunc obsecro te, lætus esto, teq; cum Maioragio, atq; fratribus meis, duobus hisce diebus oblecta. Deinde ad nos cõuersus, Facite, inquit, vt ne disputationem inceptam relinquatis: & cùm adolescentes illi venerint, quos Marcus accersiri iussit, illis salutem ex me dicite. Tu verò Marce, cùm ad te venero, quod breui fore spero, omnia mihi, quẽadmodum

gesta erunt, enarrabis, His dictis, ille discessit: nos autem Marcum blandis verbis consolari cœpimus: neq; enim præ mærore quicquam discedenti Primo respondere potuerat. Cùm verò proximum ad templum Victori Deo consecratum, Marci adhortatione commoti, proficisceremur: vt matutino sacrificio, quam nostri Missam vocant, interessemus: venientes ad nos Octauianum Arcimboldum, & Constantinum Abduensem, quos pridie eius diei Marcus, vt aduenirent, per seruum rogauerat, vidimus. Adduxerant hi secum Hieronymum Cardanum, Medicum, ac Philosophum sanè egregium, atq; in disciplinis omnibus eruditissimum virum, mihiq; in primis amicissimum: qui cùm me ibi adesse audiuisset, cum eis adolescentibus venire non recusauit. His igitur nos obuiam facti, vt noster vsus ferebat, amicissimè consalutauimus: deinde ego Cardani dextra apprahensa, Gratissimum, inquam, nobis omnibus, atq; in primis mihi fecisti Cardane, quòd ad nos familiariter, vt amicitia nostra postulabat, adueneris. Imò verò, inquit ille, si tibi nota causa esset, quæ me hùc adduxit, nullo modo mihi persuadere posses, tibi gratum esse aduentum meum. Quid, inquam ego, an aliquis fortasse ex nostris grauius ægrotare cœpit? Melius quæso ominare, inquit ille: nam tui omnes rectissimè valent: tibi autem omnino malè esse existimo, quoniam ab his

adolesc

adoleſcentibus audiui, multa heri contra Ciceronem tuum, à duobus ingenioſiſsimis adoleſcentibus Marco Fanniano, & Franciſco Comite conſobrino tuo fuiſſe diſputata: magnamq́; etiam diſputationis illius partem in hodiernum diem eſſe reiectam. Hæc ſanè cauſa fuit, quæ me huc venire impulit, vt audirem diſertos adoleſcentes, et diſcipulos tuos, contra Ciceronem, hoc eſt Deum tuum, diſputantes. Quantopere falleris, inquam ego, Cardane et tu, & reliqui omnes Mediolanenſes: qui quoniam ego iam tertio pro Cicerone contra eius obtrectatores arma cepi, putetis adeo me ei addictum eſſe, quaſi in illius verba iurauerim. Ego certè virum excellentiſsimum, et penè diuinum fuiſſe Ciceronem exiſtimo: ſed tamen hominem, hoc eſt talem, qui errare, labi, decipi potuerit. Proinde ſecurus ego quæ contra eum dicuntur audio: quòd ſi fortè ab aliquo iniuſtè accuſari intelligo, eum defendo: Si verò iuſtè, taceo. Quamobrem poteris etiam tu, ſi volueris, cum bona mea venia Ciceronem hodie accuſare: quoniam ſubitum fuit Primo noſtro diſcedere, cuius erant hodie primæ partes in diſputando. Videbimus hoc, inquit ille: ſed prius Antonium audire conſtitui, nam mihi Primus, frater eius, cùm in vrbem redeunti factus obuiam eſſem, partes ei ſuas ſe demandaſſe, narrauit. Eamus igitur, inquit Antonius, quoniam ita placet, & in hortis Fannianis conſideamus, vt mè

penſum

pensum meum (quod aiunt) absoluentem audiatis: video enim etiam tribus vobis, qui nunc aduenistis, si singulis singula Paradoxa subuertenda distribuantur, necessariò esse dicendum. Hæc cùm ille dixisset, vnà omnes ad eum locum, vbi pridie mane disputare Marcus cæperat, ire perreximus: quo pòstquàm peruenimus, appositis puluinis consedimus. Tum Antonius: magnum mehercule, inquit, Ciceronis ingenium fuit, magna doctrina, magna industria: sed quæ magis in forensi vsu, atq; in iudicijs, tum in sententia dicenda, & concitandis, atq; sedandis audientium animis, & quo vellet impellendis, quàm in Philosophicis rationibus, & disputandi acumine vim suam explicaret. Quantus enim ille orator vbiq;? quàm eloquens? quàm grauis? quam vehemens? quàm suauis? nam in ijs etiam, quæ de Philosophia tractauit, maxima apparet eloquentia. Sed profectò, quantò in dicendi facultate cæteris omnibus, non Latinis tantum, sed etiam, meo quidem iudicio, Græcis antecelluit: tantò in differendi ratione Aristotele, cæterisq; Peripateticis inferior est. Quamuis enim de ea Philosophiæ parte, quæ ad mores honestè conformandos attinet, multa præclarè scripserit: tamen rationes suas approbandi, atq; alienas refellendi laudem Aristoteli Magistro relinquat, suas ipse causas forenses agat. Vt enim hoc tempore reliqua prætermittam, quæ certè plurima sunt:

quàm

quàm ineptè si cum Aristotele conferatur, eam Dialecticæ partem tractauit, quæ Topica dicitur? vt mihi non tantùm Aristotelem, quem se vnum imitatum fuisse profitetur, referre: sed etiam multa inania, pleraq; (quod peius est) falsa docere videatur. Sed de hac re libellum propediem me editurum spero, in quo viginti amplius errores notatu dignos in Topicis à Cicerone commissos luce clarius ostendam. Nuper etiam quartum de Finibus librum eius perlegi, quo in libro se Catonem Stoicum Philosophum, & cum eo Stoicos omnes refutauisse credit: sed, Dij boni, quos mihi risus ineptijs illis suis excitauit: nullum enim ex tot eius argumentis inueni, non solùm quod acutè conclusum videretur, sed ne quidem quod vrgeret aduersarium. Quòd si fortè sub alterius persona librum eum edidisset, vt tertium sub Catonis persona, in quo Stoicorum dogmata recenset: fortasse posset aliquis suspicari, dedita opera factum esse, vt tam ineptè disputaret. Sed cùm ibi ipse se loqui, & disputare palàm profiteatur, nulla est penitus ei fuga, neq; excusatio. Quòd siquis vestrum mihi non credat, librum eum perlegat: & siquid præter aduersariorum delusiones quasdam inuenerit, quasi res in foro agatur, non cum acutissimis Philosophis: aut si vnum acutè conclusum argumentum viderit, tunc me quauis pœna dignum existimet. In hoc autem tertio, quod mihi discutiendum est, Paradoxo,

radoxo, quamuis aliqua videantur acutè dicta: tamen efficiã profectò hodie, vt intelligatis, aliud esse Orare, aliud Disputare. Mihi igitur certa quadam de causa mutandus est ordo ille, quem vos heri Marce atque Francisce in disputatione vestra secuti estis. Nam primò Ciceronis argumenta refutare statui: deinde probare, Paradoxon hoc neq; Socraticum esse, neque verum. Quòd si hæc prima pars vobis paulò spinosior visa fuerit, mihi ignoscatis velim, non enim aliter Ciceronis argumenta possum euertere. Verùm illud vobis polliceor, in alijs partibus me talia dicturum, quæ vobis omnino & erudita, & iucunda videantur.

Quid igitur ait Cicero? Peccata sunt æqualia. Quãobrem quæso? non enim causam video. Quia peccata (inquit) non rerum euentu, sed vitijs hominum metienda sunt. O' probationem mirificam & artificiosam, sed quam tamen dilucidius explanari mihi velim. Peccata vitijs hominum sunt metienda: quomodo hoc ais Cicero? aut quæ tandem est ista mensura, quæ peccata dimetiatur? Vitia (inquit) hominum.

Audio: sed dic mihi, Vtrum vitia hominum peccata sint, an non? Sunt: quis enim negare potest, quin vitia hominum sint peccata? Sed (vt ais) vitijs hominum peccata sunt metienda? Sic est. Ergo peccatis peccata sunt metienda, quoniam etiam hominum vitia peccata sunt: quo quid ineptius, aut absurdius dici

dici potest? quid enim est, quod per sui ipsius dimensionem, quantum sit, intelligi possit? aut quænam ista est tandem communis mensura, quæ peccata hominum dimetiri possit? Equidem video, cùm aliquid metiri homines volunt, mensuram aliquam habere diuersam ab ijs rebus, quas metiuntur: nõ enim triticum tritico metiũtur, sed medio, aut medimno: neq; vinum vino, sed metreta; neq; agrum agro, sed decempeda: atq; hoc in reliquis rebus omnibus videmus, vt mercatores ementes, ac vendentes, suas singulis rebus mensuras à rebus ipsis diuersas habeant, vnde res singulas, quantæ sint, facilè intelligant. Quare nullo modo fieri potest, vt hominum vitijs peccata metiantur: verùm ipsa Ratio est, quæ peccatorũ magnitudinem, atq; paruitatem dijudicat: habet enim præparatam mediocritatem, quæ & virtutum, & vitiorum communis mensura est. Itaq; quoties videt ab actionibus hominum ipsam mediocritatem negligi, ita vt ab eis vel exuperetur, vel non adæquetur, statim in eis peccatum esse intelligit: quóque magis mediocritas ab vtrauis parte distat, tantò maius peccatum illud esse iudicat. Primum igitur hoc Ciceronis effatum non tantùm falsum est, sed etiam absurdum atq; ineptum. Quod autem statim sequitur, totum contra ipsum est. In quo peccatur (inquit) id potest aliud alio maius esse. Quid ais Cicero? Peccata sunt æqualia, & id,

in quo peccatur, aliud alio maius esse potest? Hoc certè monstri mihi simile videtur, vt si in partem hominis peccet, & digitum vulneres, id quidem peccatum est: sed quoniam id, in quo peccatur, paruum est, non video, quare magnum debeat esse peccatum. Quòd si manum abscindas, id in quo peccasti, maius est: tu verò peccatum non vis augeri. Quis non hoc insani esse hominis iudicet? Quid enim, si penitus hominem interficias? erit'ne maius peccatum, quàm si digitum tantùm vulneres? Nequaquam, inquit: quoniam peccata sunt æqualia. Hoccine te ratio docet, Cicero? Imò verò necessitas cogit, vt peccati quantitas, eius rei quantitati, in qua peccatur, proportione respondeat. Quantitatem autem eam intelligimus, quæ in virtute, atq; in potestate rei constituitur, & magnitudinem atq; paruitatem, non corporis, aut molis, sed potestatis hoc loco quærimus: vt Deum immortalem Maximum appellare consueuimus, non quia molem corporis aliquam, sed quia potestatem summam habeat: ita res potestate atq; virtute æquales dicuntur, cùm vnius vis ac potestas alterius potestatem non exuperat, neq; exuperatur. Cùm igitur æqualitatem peccatis attribuat Cicero, quæ (vt Philosophi docent) quantitatis est propria: de ea quantitate, atq; æqualitate intelligendum est, quæ ad potestatem, non quæ ad corporis molem refertur. Necesse est igitur, cùm peccata

cata sint æqualia, vt res aliqua, in qua peccari possit, peccato ipsi æqualis inueniatur: alioquin aut peccata res omnes, in quibus peccatur, exuperabunt: aut à rebus ipsis exuperabuntur: aut partim exuperabunt, partim exuperabuntur. Quòd si peccata res omnes exuperant, in quibus peccatur: ridiculum quiddã eueniet, vt cùm in aliqua re peccatur, sit aliqua peccati illius pars, quæ in re non sit, quoniam rem peccatum excedit. Vbi igitur extans illa peccati pars locum habebit, si in re non habet? num in aëre? Quòd si res ipsæ peccata excedunt, cùm in aliquam rem peccatur, non in totam illam peccabitur, sed erit aliqua pars eius rei, quam peccatum non attingat: vt, si quis hominem interficiat, erit aliqua corporis illius hominis pars non interfecta, quoniam peccatum totum corpus illud non occupat. Idem accidet, si res ipsæ partim peccata exuperabunt, partim ab eis exuperabuntur. Quæ si ridicula sunt & inepta, dicendum est, res aliquas peccatis ipsis esse æquales: quin potius res omnes, in quibus peccatur, peccatis æquales esse necesse est. Quòd si peccata sint æqualia, res etiam æquales esse oportet: quod cùm apertè falsum sit, non erunt æqualia peccata. Aut si plurimæ res peccatis ipsis & maiores, & minores reperiuntur, quoniam non omnes res eandem habent potestatem: fiet, vt quoties in minori aliqua re peccamus, rem eam peccatum excedat. Dicat igitur

mihi Cicero, vbi pars ea peccati, quæ rem excedit, existere poterit? non enim sine aliqua re subiecta peccatum existere potest. Necesse est igitur, vt ad eius rei quantitatem atq; potestatem, in qua peccatur, peccatum contrahatur, atque ipsi rei adæquetur, atque ita paruum necessario fiet. Rursus si quis in re aliqua maiori peccet, res ipsa quoniam peccato maior est, ipsum peccatum tantò magis excedet, quantò maior eo fuerit; non ergo in tota illa re peccatum erit. Quæro igitur à Cicerone, vtrum in totam rem illam peccari possit, nec ne? Si non, erit igitur pars eius rei debilis atq; infirma, in quam peccari possit: pars autem sancta, atq; firmissima, in quam peccari minimè possit: quo quid ineptius dici potest? Quòd si in totam rem peccari potest, quantò maior res illa potestate fuerit, atq; virtute, vt tantò etiam maius peccatum sit, quod in illam committitur, necesse est. Nullo igitur modo verum esse potest; quod ait Cicero, quòd cùm id, in quo peccatur, possit aliud alio maius esse, ipsa sint inter se peccata æqualia. Sed vrget Cicero tali axiomate, Ipsum quidē illud Peccare, quoquò te verteris, Vnum est. Equidem hoc non video qua ratione verum esse possit, quod tanquam notissimum, & ab omnibus concessum, sine vlla probatione necessaria Cicero sumit; Ipsum quidem peccare est vnum. Quomodo quæso vnū? nos enim ab Aristotele didicimus, Vnum multis

modis

modis dici: nam primò dicitur Vnum numero: quod licet diuersa nomina habeat, tamen idem per ea nomina semper significatur: vt, Cicero, Tullius, Pater patriæ, Latinæ eloquentiæ princeps, Catilinæ coniurationis vindex: his enim tot nominibus vnus homo significatur. Secundò dicitur aliquid Vnum esse specie: vt, Cicero & Hortensius, & Pompeius, quatenus ad speciem attinet, vnum atq; idem sunt: tam enim Cicero, quàm Hortẽsius homo est. Itaq; hac ratione omnes homines (vt ait Phorphyrius) vnus est homo: quod idem est, ac si diceret, sub vna specie continentur. Tertiò dicitur Vnum atq; idem genere, vt homo, Ceruus, Equus, Leo, licet diuersas species atq; formas habeant, tamen sub vno genere continentur: tam enim homo dicitur animal, quàm Ceruus, quàm Equus, quàm Leo. Dicat igitur mihi Cicero, cùm ipsum peccare velit vnum esse, quomodo vnum sit, an vnum numero, an speciè, an genere? Si vnum numero dixerit esse, certè fiet vt idem sit fur, & sicarius, & proditor patriæ, & libidinosus, & superbus, & tyrannus, & auarus: atq; ita Cædes (exempli gratia) si peccatum sit, poterit etiam dici Auaritia, & Superbia, & Inuidia, & Ebrietas, & reliqua id genus: quæ maximè ridicula esse, quis non intelligit? Si verò specie velit vnum esse, ponamus aliquam peccati speciem, vt Auaritiam, quæ sub se numero diuersas

continet auaritias, vt auaritiam Craßi, Caroli, Pauli. Peccata igitur omnia, te iudice, Cicero, ad hanc speciem deducētur: atq; ita fiet, vt vno auaritiæ nomine peccata omnia comprahendantur, sicuti vno hominis nomine, quicunq; sunt rationis participes: quod quoniam absurdum est, & ineptum, restat vt peccatorum diuersas esse species necessariò concludendum sit, quæ sub vno genere vitiositatis contineantur. Non igitur aliter hoc Ciceronis dictum verum esse potest, Quòd ipsum peccare vnum sit, nisi vnum esse genere intelligamus. Quod cùm ita sit, nulla nos omnino necesßitas cogit, vt æqualia esse peccata credamus: neq; enim necesse est, vt alicuius generis species inter se sint æquales: vt homo, quamuis sub vno genere cum equo sit, non tamen necessariò sequitur, vt etiam illi æqualis sit: & arbores, herbæ, frutices, licet sub vno genere, quæ planta est, comprahendantur, non tamen ideo viburno cupressus æqualis erit. Quid igitur valeat ea Ciceronis propositio, Quod ipsum peccare vnū sit, iam profectò videtis. Sed auri nauem (inquit) euertat gubernator, an paleæ: in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Ita ne Cicero, cùm rem tantam probandam susceperis, nostrorum oculorum aciem similitudinibus falsis perstringere conaris? Sed videamus, quam vim habeat ista tua similitudo. In gubernatoris inscitia nihil interest, auri nauē

euertat,

euertat, an paleæ. Hoc cértè idem mihi videtur, ac si diceres, Insciens, atq; imperitus gubernator, siue auri nauem, siue paleæ subuertat, semper est insciens, atq; imperitus. Hoc verè dicitur, quid tum postea? Ergo tantum peccat, cùm paleæ nauem euertit, quàm si auri nauē euerterit. Quis hoc tibi concesserit? aut qua id ratione probas? Vt enim tam in hac re, quàm in illa sit imperitus: non ideo tamen sequitur, vt tantum in hac peccet, quantum in illa: nihil enim prohibet, quin imperitus magis in vna re peccare poßit, quā in alia: vt ne à tua similitudine discedam, Si Medicus aliquis imperitus sit, & eodem tempore seruo alicui, et optimo principi medeatur, atq; ita accidat, vt per inscitiam suam vtrūq; interficiat: in hoc certè idem dicere possumus, quod ipse de gubernatore dicis: nempe in Medici inscitia nihil interesse. Sed quis erit omnium tam rerum ignarus, tam demens, tam ab omni ratione alienus, qui tantumdem ab eo medio peccatum esse in seruo nequam interficiendo putet, quantum in optimo principe? Sensus communis abhorret ab hac sententia, refugit ratio, mens auersatur: nam quia leuis est serui nequam iactura, quamuis cognitus error Medici fuerit, non tamen ideo punitur. At verò cùm optimum principem per apertam inscitiam interficit, quis non ei maledicit? quis nō execratur? quis non omnì supplicio dignum existimat? Sed fac gubernatorem

illum tuum, aut Medicum hunc, consultò & dedita opera peccare, vt ille sua sponte auri nauem euertat, hic optimum principem interficiat: erit'ne æquale hoc peccatum, ac si ille per inscitiam paleæ nauem euerterit, hic autem seruum interemerit? Quid ad hoc respondebis Cicero? Medicus est aliquis excellentissimus, qui tamē equis mederi nō didicit, sed hominibus tantùm: is cùm equo mederi vellet, per inscitiam illum interemit, qua in re sine dubio peccauit: deinde idem Medicus, cùm optimus princeps ægrotaret, & eum facilè curare posset, tamen eum dedita opera veneno sustulit: in vtro horum facto maius est peccatum? Prò Deum atq; hominum fidem, hæccine res adeo obscura est, vt de illa dubitare quisquam mortalium possit? poteris'ne dicere Cicero æquale hoc illi peccatum esse? quis istam tuam orationem æquis auribus admittere posset? Sed addit, Lapsa est libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine: peccauit verò nihilominus. Qua de causa Cicero? an quia semper cum aliqua muliere concumbere, præterquam cum vxore propria, peccatū est? Sic opinor. Quid tum? tantum'ne peccasse dices, qui cum meretricula consuetudinem habuerit, quàm qui pudicissimam atq; honestissimam Matronam violarit? tibi certè necesse est hoc dicere. Sed quid facias sanctissimis Legibus, quæ adulteris,

atq;

atq; pudicitiæ expugnatoribus, pœnam capitis irrogarunt? meretriciam verò consuetudinem adeò non puniunt, vt ferè ne repræhendant quidem: aut sicubi repræhendunt, id leuiter faciant. Tot'ne igitur sapientißimos homines legum latores imperitiæ condemnabis? qui, cùm peccata sint æqualia, tamen adulteris maiorem pœnam, quàm meretricum sectatoribus irrogarint? Sed quæ causa fuit, vt Romani tui Vestales virgines stupri condemnatas in terra viuas defoderent? quæ quamuis se constuprari passæ fuissent, nihilo tamen magis, te autore, quàm si vulgatæ meretrices fuissent, omnino peccauerant? Aut igitur dementes, aut iniustißimi maiores tui fuerunt, qui peccatum æquale tantopere vindicandum in vestalibus censuerint, in meretricibus verò ne reprehendendum quidem, aut tu egregiè insanis, qui peccata omnia putes esse æqualia. At quantò rectius maiores nostri religiosißimi ac sanctißimi viri statuerunt, qui gradus quinq; peccatorum in mulieres, alterum altero maiorem & grauiorem annotandos esse censuerunt. Rem enim habere cum Meretrice, peccatum quidem est: sed horum omnium, de quibus loquimur minimum: cætera omnia grauiora, atq; hoc ordine disposita, vt cum vidua rem habere grauius peccatum sit, quàm cum meretrice: cum virgine grauius, quàm cum vidua: cum muliere viro copulata grauius, quàm cum

virgine: quoniam hoc adulterium dicitur, quod legibus grauissimè vindicatur: deniq; cum ea, quæ sacris initiata sit, quas vulgò Monachas appellamus, omniũ grauissimum. Hic ordo, atq; hæc peccatorum distinctio: rationi maximè consentanea est. Illud verò tuum quis ferat, vt tantùm peccetur in meretrice, quantum in Vestali virgine? Verùm peccare est (inquit) tanquam trãsire lineas, quod cùm feceris, culpa commissa est, quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.

Equidem vix risum continere possum, cùm ista lego: nam quàm bella est, & quàm apposita hæc similitudo? Verùm videamus quam vim habeat, Peccare est tanquam transire lineas. Sit ita sanè: Sed dic mihi, quæ sunt ista tandem lineæ, quæ in peccãdo transeuntur? nempe si verum respondere volueris, atq; ex Socratis sentẽtia, dices eam esse Mediocritatem: omnes enim virtutes in mediocritate constitutæ sunt. Itaque cùm aliquis mediocritatem trãsit, vt à virtute discedat necesse est, & in vitium, atq; in peccatum statim incidat. Transire igitur lineas, est à mediocritate discedere: quod cùm quis fecerit, culpa commissa est. Concedo. Sed quis illud concesserit, Quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet? Imò cùm semel mediocritatẽ transieris, quantò longius ab ea discedis, tantò

in maio

in maiorem errorem vt incidas oportet. Quoniam nihil aliud est, A' mediocritate discedere, quàm ab ipsa virtute discedere, à qua quantò quis longius abscedit, quis non videt, in tantò maius crimẽ incidere? Rectissimè enim dixit Aristoteles, Paruum errorẽ in principio solere in fine maximum fieri. Sed peto à te Cicero, quoniam peccare est tanquam transire lineas, vtrum cùm quis transiuerit, Longius progredi, peccatum sit, nec'ne? Si nõ: ergo cùm quis semel transiuit lineas illas, quamuis semper in eodem peccato perseueret, nihil tamẽ amplius peccabit: vt si quis fortè nummum furto subripuerit, quoniã lineas transiuit, quamuis progrediatur in furando, & primò viginti sestertia, deinde centum, atq; ita deinceps, postremò etiam fana diripiat, hæc non amplius erunt peccata: quòd si hoc vt est, ita etiam falsum & absurdnm videtur, necessitas cogit, vt concedas, eum qui lineas transiuit, si longius progrediatur, etiam peccare. Quo concesso, illud necessariò sequitur, vt quantò longius progressus fuerit, tantò etiam magis peccet. Falsum est igitur illud, quòd Longius progredi, nihil ad augendam transeundi culpam pertineat. Quid deinde? Peccare, inquit, certè licet nemini. Sit ita, verè enim dicis. Quod autem non licet, id hoc vno tenetur, si arguitur non licere. Etiam hoc tolerari potest. Id nec maius, nec minus vnquam fieri potest. Vnde hoc? non enim video,

quare

quare tibi cõcedi debeat. Quod enim non licet, vt aliquid sit, & aliquo nomine vocetur, necesse est. Pone igitur nobis ante oculos exemplum aliquod eius quod non licet, vt videamus, vtrum maius & minus esse posit, nec ne. Furari non licet: quis autem adeo insanus est, vt non intelligat, maius esse furtum centum millia sestertiorũ rapere, quàm vnum tantùm sestertium? Cædem facere non licet: tamen longè maius peccatum est, optimum virum interficere, quàm nequissimum seruum: etiam si vtrunq; iniuria facias. Cur autem quod non licet neq; maius, neq; minus fieri potest? Quoniam (inquit) in eo peccatum est, si non licuit. Hæc profectò ratio nullum omnino pondus ad probationem habet: quamuis enim tibi concedam Cicero, peccatum in eo esse quod non licuit: quid tibi hoc proderit ad id efficiendum, quod contendis? nam quid absurdius erit hoc Enthymemate tuo, si conformetur ad hunc modum: Peccatum in eo est, quod non licet: ergo quod nõ licet, neq; maius, neq; minus fieri potest. Ita'ne à Diodoto tuo argumẽtari didicisti? Crede mihi Cicero, verissimum illud est, quod vulgari prouerbio præcipitur, Quam quisque norit artem, in ea se exerceat: &, Ne sutor vltra crepidam. Valeas plurimum in causis, regnes in iudicijs, summam in dicendo laudem assequaris: disserendi verò rationem, atq; acumen, alijs concedas. Quàm enim ineptum hoc argumentum?

mentum? quàm ab omni ratione alienum? nam peccato tantùm nomen mutas: idem est enim peccare, & quod non licet facere. Itaq; cùm dicis, Quod non licet nec maius nec minus esse potest: idem est ac si diceres, Peccata sunt æqualia, quod tibi non sumendum, sed probandum est. Id enim quod non licet in omni vitiorum genere rectè dicitur: vt, furari non licet, cædem facere non licet, patriam prodere non licet, atq; ita de reliquis. Neq; tamen hac ratione probatur, Furari, et Patriam prodere, æquale peccatum esse. Hoc autem captiosæ conclusionis genus, quo vtitur hoc loco Cicero, vitiosissimum est, & à Dialecticis nostris Petitio principij nuncupatur, quoties idem ad eiusdem probationem sumimus: nam (vt dixi) Peccatum, & Quod non licet, idem est. Quare cùm ait Cicero, Quod non licet, neq; maius, neq; minus esse potest; idem est, ac si diceret, Peccatum aliud alio maius esse non potest: quod vnum in tota hac disputatione probandum sumitur: vnde id etiam quod sequitur ineptissimum est. Quod semper vnum & idem est, quæ ex eo peccata nascantur æqualia sint oportet. Nam prius illud falsum esse dico, nempe, Id quod non licet semper vnum atq; idem esse; neq; enim idem est, Patriam prodere, quod Furari: cùm vtrumq; in eo arguatur, quòd non licet: nisi fortè ita intelligat Cicero, quemadmodum initio diximus, Omnia quæ non licent sub vno vitij

genere

genere contineri: quod quidem verißimum est. Sed tunc nequaquam id consectarium erit, vt peccata sint æqualia: quamuis enim idem in genere nomen, atque eandem difinitionem habeant: vnaquæq; tamen species, suas vt habeat differentias atq; proprietates oportet, quibus ab alijs formis distinguatur. Itaq; forma, quæ generi alicui subiecta sit, alteri formæ sub eodem genere collocatæ, neq; par, neq; æqualis necessariò est: alioqui sequeretur, vt culex, quia animalis species est, Indico Elephanti, qui sub eodem genere collocatur, necessariò par, atq; æqualis esset. Non igitur, quia semper vnum genus, atq; idem est quod non licet, ideo necessarium est, vt peccatorum species sint æquales: neq; si ab vno, quod semper idem sit, omnia peccata nascãtur, vt æqualia sint oportet. Ponamus enim, vnum esse oceanum, vnde flumina omnia deriuentur: quis tam parum sanæ mentis est, vt quoniam ab vno, quod semper idem est, omnia flumina nascantur, necessariò consequi putet, vt omnia flumina sint æqualia? quid autẽ illud Ciceronis ab hoc differt? vt interdũ pudeat, tam egregium autorem in tam puerilibus argumentis refutare. Sed quid ago? dum singula Ciceronis verba discutio, non satis videor mihi vestri rationem habere: nam hæc mea curiositas, atq; hæ Dialecticorum spinæ, vobis fortasse molestæ sunt. Itaque si placet ab eis discedamus, & alìqua alia, quæ sint vtiliora, atque

iucundiora, de hac eadem re dicamus. Minimè verò, inquit Cardanus: perge porrò Antoni qua cœpisti, nam & mihi, & adolescentibus his omnibus, gratissima est ista tua disputatio: vides enim, quàm te attentè omnes audiant, quantam in vnoquoq; argumẽto significationem approbationis dederint: quin etiam ipse mihi Maioragius assentire tuis argumentis videtur, cùm nihil contradicat, & tam attentè audiat.

Non rectè colligis (inquam ego) Cardane: neque enim omninò dictis assentior, quæ video facilè refutari posse: sed ideo non contradico, ne institutam disputationem impediam: quoniam hoc omnibus his adolescentibus (vt video) maximè displiceret. Ideo autem attentè audio, quoniam mihi videtur Antonius longè maiores in Dialecticis progressus fecisse, quàm vnquã existimassem: ita acutè distinguit: ingeniosè definit, callidè argumẽtatur. Id quidem (inquit Marcus) etiam ego iamdudum vehementer admiror: existimabam enim, mansuetioribus his tantùm musis, quæ ad oratoriam facultatem attinent, Antonium delectari: sed, vt video, nõ tantùm Francisco fratri cedit in Dialecticis: sed eum etiam (pace eius præsentis dixerim) longè superat. Tum Franciscus, Ego verò libenter, inquit, hanc palmam Antonio fratri concedo, qui & maior me natu est, & longiori etiam tempore studijs omnium ingenuarũ artium operam dedit.

Itaq;

Itaq; perge Antoni, musis approbantibus, infirmas eas, vt satis apparet, Ciceronis rationes labefactare, atq; euertere. Pergam, quoniam ita placet, inquit Antonius: sed si fortè longior vobis visus fuero, ne me accusetis, verùm vos potius ipsos, qui tam minutè me disputare volueritis: quamuis posthac ita moderabor orationi meæ, vt cùm se mihi occasio obtulerit, in Platonicam aliquam amœnitatem excurram: reliqua igitur accipite. Quòd si virtutes (inquit) pares sunt inter se, paria etiam esse vitia necesse est. Hoc tibi concedi Cicero potest, quoniam ab Aristotele didicimus, contrariorum eandem esse rationem atq; doctrinam: sed quod assumis postea, quis tibi concedat? Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri facilè perspici potest. Imò verò difficilè perspici potest, vel nullo potius modo: nã quæ falsa sunt, ea qua ratione perspicias? at verò contrarium potius facilè perspici potest. Quis enim adeo bonus est, vt melior effici non poßit? aut quis adeo temperans, vt non poßit esse temperantior? Nullus enim homo penitus reperitur, qui dum in hac vita est, perfectam bonitatem acquirere poßit: sed aliquid semper super est, quod ad eam, quam vir bonus virtutẽ adeptus est, etiam addi poßit. Si quis enim vndiq; bonus atq; perfectus reperiretur, iam non mortalis homo, sed

Deus

Deus aliquis potius iure optimo dici posset. Hoc est enim quod in Phædone pulcherrimè Socrates disputat, Paucißimos homines inueniri, qui vel boni vel mali propriè vocari poßint: plurimos autem, atq; adeo maiorem partem, quodãmodo medios esse, vt nec omnino boni, nec omnino mali propriè nominentur. Videbat enim acutißimè Socrates, summam quandam esse bonitatem, cui nulla poßit omnino fieri acceßio, & ad quam mortalium nemo poßit aspirare, quæ in sola Mente diuina reperitur; atq; ideo sapientißimè dixit in Protagora, Solum Deum rectè bonum vocari posse: & quemadmodum summa bonitas in Deo est, ita etiam vt summa malitia Deo contraria sit oportet: nullo enim modo fieri potest, vt mala penitus extirpentur. Nam (vt ait in Theæteto Socrates) bono oppositum aliquid esse semper necesse est: neq; tamen mala apud Deos locum habere possunt, sed naturam mortalem, regionemq́; inferiorem necessariò circumeunt. Quare conandum est (inquit) vt hinc ad illum locum quam celerrimè fugiamus: Fuga autem est, vt Deo similes pro viribus efficiamur: Deo verò similes efficit iustitia, et sanctitas prudentiæ copulata. Quamobrem ex Socratis sententia summam in Deo bonitatem constituemus, summam autem malitiam in hac inferiori regione: ipsos autem homines in medio quodãmodo collocatos, vt arbitratu suo vel ob bonitatem

illam summam, vel ad hanc extremam malitiam iter dirigere poßint. Ad illam bonitatem nos virtutes, ad hanc autem malitiam peccata perducere solent. Itaq; quò quis diligentius virtutibus, atq; bonis actionibus incumbit, tantò propius ad illam bonitatem accedit, atq; ita melior fieri dicitur: vt quò magis ad ignem quis accedit, tantò fit calidior: contrà verò, quantò quis pluribus vitijs inquinatur, tantò magis ad extremam malitiam tendit, & deterior efficitur. Atq; hac sanè ratione facilè fieri potest, vt bono viro melior, & temperante temperantior inueniatur: cùm enim nullus homo perfectè bonus esse poßit, quoniam hoc solius Dei proprium est, vt in Protagora Platonis legimus: potest tamen aliquis tantum in virtute proficere, vt Deo quasi similis effectus longè melior cæteris dicatur, qui ad eandem virtutem nituntur: quod idem etiam de illo, qui malitiam amplectitur, intelligendum est. Itaq; de ijs, qui vel probitate, vel malitia cæteris antecellunt, loquitur in Mnioë Socrates: vbi confirmat, Virum bonum similem esse Deo, & rem omnium sacratißimam: Malum autem hominem contrà rem esse prophanißimam. Cùm igitur perspicuum sit, neminem esse mortalium qui perfectè bonus dici poßit: necesse est, vt vel nullus omnino bonus dicatur, vel si quis dicitur, alius alio melior sit: Bonus enim ille tantùm, sine dubitatione dicitur, qui per virtutem

tutem Deo similis effici studet. Quod cùm alius alio studiosius, atq; diligentius efficiat: certè melior ille rectè dicetur, qui pluribus virtutibus instructus fuerit: alioquin nihil studium illud acrius adipiscēdæ virtutis, huic qui reliquos antecellit omnino prodesset, si nihilo melior propter illud efficeretur. Possem equidē in hac parte disertus videri, si in communibus locis expatiari velim, & exemplorum multitudine probare, quanta semper fuerit inter bonos viros differentia: vt quamuis plurimi & boni essent, & dicerētur, alius tamē alio longè melior, atq; præstantior fuerit: sed hoc probationis genere, non nisi cum opportunum mihi visum fuerit, vt statui: vt hanc ipsi Ciceronis, eiusq; sectatoribus, gloriam relinquam: qui cùm planiciem aliquam apertam vidēt, in qua facilè exultare posit oratio, eam statim arripiunt: me verò hoc in genere disputationis breuia & acuta delectant. Dico igitur, quamuis illud Ciceroni concedamus, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec sapiente sapientiorem inueniri, quod omnino falsum est: non tamen rectè concludi posse, pares inter se virtutes omnes esse. Quid enim siquis Fortitudinem cum Iustitia conferat? audebit'ne dicere Cicero, Iustitiæ parem esse fortitudinem? atqui si hoc diceret longè sapientiorem Agesilaum existimarem, qui cùm aliquando interrogatus fuisset, vtra maior esset virtus

virgine: quoniam hoc adulterium dicitur, quod legibus grauissimè vindicatur: deniq; cum ea, quæ sacris initiata sit, quas vulgò Monachas appellamus, omniũ grauissimum. Hic ordo, atq; hæc peccatorum distinctio: rationi maximè consentanea est. Illud verò tuum quis ferat, vt tantùm peccetur in meretrice, quantum in Vestali virgine? Verùm peccare est (inquit) tanquam trãsire lineas, quod cùm feceris, culpa commissa est, quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.

Equidem vix risum continere possum, cùm ista lego: nam quàm bella est, & quàm apposita hæc similitudo? Verùm videamus quam vim habeat, Peccare est tanquam transire lineas. Sit ita sanè: Sed dic mihi, quæ sunt istæ tandem lineæ, quæ in peccãdo transeuntur? nempe si verum respondere volueris, atq; ex Socratis sentẽtia, dices eam esse Mediocritatem: omnes enim virtutes in mediocritate constitutæ sunt. Itaque cùm aliquis mediocritatem trãsit, vt à virtute discedat necesse est, & in vitium, atq; in peccatum statim incidat. Transire igitur lineas, est à mediocritate discedere: quod cùm quis fecerit, culpa commissa est. Concedo. Sed quis illud concesserit, Quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet? Imò cùm semel mediocritatẽ transieris, quantò longius ab ea discedis, tantò

in maio

in maiorem errorem vt incidas oportet. Quoniam nihil aliud est, A mediocritate discedere, quàm ab ipsa virtute discedere, à qua quantò quis longius abscedit, quis non videt, in tantò maius crimẽ incidere? Rectissimè enim dixit Aristoteles, Paruum errorẽ in principio solere in fine maximum fieri. Sed peto à te Cicero, quoniam peccare est tanquam transire lineas, vtrum cùm quis transiuerit, Longius progredi, peccatum sit, nec ne? Si nõ: ergo cùm quis semel transiuit lineas illas, quamuis semper in eodem peccato perseueret, nihil tamẽ amplius peccabit: vt si quis fortè nummum furto subripuerit, quoniã lineas transiuit, quamuis progrediatur in furando, & primò viginti sestertia, deinde centum, atq; ita deinceps, postremò etiam fana diripiat, hæc non amplius erunt peccata: quòd si hoc vt est, ita etiam falsum & absurdnm videtur, necessitas cogit, vt concedas, eum qui lineas transiuit, si longius progrediatur, etiam peccare. Quo concesso, illud necessariò sequitur, vt quantò longius progressus fuerit, tantò etiam magis peccet. Falsum est igitur illud, quòd Longius progredi, nihil ad augendam transeundi culpam pertineat. Quid deinde? Peccare, inquit, certè licet nemini. Sit ita, verè enim dicis. Quod autem non licet, id hoc vno tenetur, si arguitur non licere. Etiam hoc tolerari potest. Id nec maius, nec minus vnquam fieri potest. Vnde hoc? non enim video,

quare

mentum? quàm ab omni ratione alienum? nam peccato tantùm nomen mutas: idem est enim peccare, & quod non licet facere. Itaq; cùm dicis, Quod non licet nec maius nec minus esse potest: idem est ac si diceres, Peccata sunt æqualia, quod tibi non sumendum, sed probandum est. Id enim quod non licet in omni vitiorum genere rectè dicitur: vt, furari non licet, cædem facere non licet, patriam prodere non licet, atq; ita de reliquis. Neq; tamen hac ratione probatur, Furari, et Patriam prodere, æquale peccatum esse. Hoc autem captiosæ conclusionis genus, quo vtitur hoc loco Cicero, vitiosissimum est, & à Dialecticis nostris Petitio principij nuncupatur, quoties idem ad eiusdem probationem sumimus: nam (vt dixi) Peccatum, & Quòd non licet, idem est. Quare cùm ait Cicero, Quod non licet, neq; maius, neq; minus esse potest; idem est, ac si diceret, Peccatum aliud alio maius esse non potest: quod vnum in tota hac disputatione probandum sumitur: vnde id etiam quod sequitur ineptissimum est. Quod semper vnum & idem est, quæ ex eo peccata nascantur æqualia sint oportet. Nam prius illud falsum esse dico, nempe, Id quod non licet semper vnum atq; idem esse: neq; enim idem est, Patriam prodere, quod Furari: cùm vtrumq; in eo arguatur, quòd non licet: nisi fortè ita intelligat Cicero, quemadmodum initio diximus, Omnia quæ non licent sub vno vitij genere

genere contineri: quod quidem verißimum est. Sed tunc nequaquam id consectarium erit, vt peccata sint æqualia: quamuis enim idem in genere nomen, atque eandem difinitionem habeant: vnaquæq; tamen species, suas vt habeat differentias atq; proprietates oportet, quibus ab aliis formis distinguatur. Itaq; forma, quæ generi alicui subiecta sit, alteri formæ sub eodem genere collocatæ, neq; par, neq; æqualis necessariò est: alioqui sequeretur, vt culex, quia animalis species est, Indico Elephanti, qui sub eodem genere collocatur, necessariò par, atq; æqualis esset. Non igitur, quia semper vnum genus, atq; idem est quod non licet, ideo necessarium est, vt peccatorum species sint æquales: neq; si ab vno, quod semper idem sit, omnia peccata nascãtur, vt æqualia sint oportet. Ponamus enim, vnum esse oceanum, vnde flumina omnia deriuentur: quis tam parum sanæ mentis est, vt quoniam ab vno, quod semper idem est, omnia flumina nascantur, necessariò consequi putet, vt omnia flumina sint æqualia? quid autẽ illud Ciceronis ab hoc differt? vt interdũ pudeat, tam egregium autorem in tam puerilibus argumentis refutare. Sed quid ago? dum singula Ciceronis verba discutio, non satis videor mihi vestri rationem habere: nam hæc mea curiositas, atq; hæ Dialecticorum spinæ, vobis fortasse molestæ sunt. Itaque si placet ab eis discedamus, & aliqua alia, quæ sint vtiliora, atque iucund

iucundiora, de hac eadem re dicamus. Minimè verò, inquit Cardanus: perge porrò Antoni qua cœpisti, nam & mihi, & adolescentibus his omnibus, gratissima est ista tua disputatio: vides enim, quàm te attentè omnes audiant, quantam in vnoquoq; argumẽto significationem approbationis dederint: quin etiam ipse mihi Maioragius assentire tuis argumentis videtur, cùm nihil contradicat, & tam attentè audiat.

Non rectè colligis (inquam ego) Cardane: neque enim omnino dictis assentior, quæ video facilè refutari posse: sed ideo non contradico, ne institutam disputationem impediam: quoniam hoc omnibus his adolescentibus (vt video) maximè displiceret. Ideo autem attentè audio, quoniam mihi videtur Antonius longè maiores in Dialecticis progressus fecisse, quàm vnquã existimassem: ita acutè distinguit: ingeniosè definit, callidè argumẽtatur. Id quidem (inquit Marcus) etiam ego iamdudum vehementer admiror: existimabam enim, mansuetioribus his tantùm musis, quæ ad oratoriam facultatem attinent, Antonium delectari: sed, vt video, nõ tantùm Francisco fratri cedit in Dialecticis: sed eum etiam (pace eius præsentis dixerim) longè superat. Tum Franciscus, Ego verò libenter, inquit, hanc palmam Antonio fratri concedo, qui & maior me natu est, & longiori etiam tempore studijs omnium ingenuarũ artium operam dedit.

Itaq;

Itaq; perge Antoni, musis approbantibus, infirmas eas, vt satis apparet, Ciceronis rationes labefactare, atq; euertere. Pergam, quoniam ita placet, inquit Antonius: sed si fortè longior vobis visus fuero, ne me accusetis, verùm vos potius ipsos, qui tam minutè me disputare volueritis: quamuis posthac ita moderabor orationi meæ, vt cùm se mihi occasio obtulerit, in Platonicam aliquam amœnitatem excurram: reliqua igitur accipite. Quòd si virtutes (inquit) pares sunt inter se, paria etiam esse vitia necesse est. Hoc tibi concedi Cicero potest, quoniam ab Aristotele didicimus, contrariorum eandem esse rationem atq; doctrinam: sed quod assumis postea, quis tibi concedat? Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri facilè perspici potest. Imò verò difficilè perspici potest, vel nullo potius modo; nã quæ falsa sunt, ea qua ratione perspicias? at verò contrarium potius facilè perspici potest. Quis enim adeo bonus est, vt melior effici non poßit? aut quis adeo temperans, vt non poßit esse temperantior? Nullus enim homo penitus reperitur, qui dum in hac vita est, perfectam bonitatem acquirere poßit: sed aliquid semper super est, quod ad eam, quam vir bonus virtutẽ adeptus est, etiam addi poßit. Si quis enim vndiq; bonus atq; perfectus reperiretur, iam non mortalis homo, sed

Deus

Deus aliquis potius iure optimo dici posset. Hoc est enim quod in Phædone pulcherrimè Socrates disputat, Paucissimos homines inueniri, qui vel boni vel mali propriè vocari possint: plurimos autem, atq; adeo maiorem partem, quodámodo medios esse, vt nec omnino boni, nec omnino mali propriè nominentur. Videbat enim acutissimè Socrates, summam quandam esse bonitatem, cui nulla possit omnino fieri accessio, & ad quam mortalium nemo possit aspirare, quæ in sola Mente diuina reperitur: atq; ideo sapientissimè dixit in Protagora, Solum Deum rectè bonum vocari posse: & quemadmodum summa bonitas in Deo est, ita etiam vt summa malitia Deo contraria sit oportet: nullo enim modo fieri potest, vt mala penitus extirpentur. Nam (vt ait in Theæteto Socrates) bono oppositum aliquid esse semper necesse est: neq; tamen mala apud Deos locum habere possunt, sed naturam mortalem, regionemq́; inferiorem necessariò circumeunt. Quare conandum est (inquit) vt hinc ad illum locum quam celerrimè fugiamus: Fuga autem est, vt Deo similes pro viribus efficiamur: Deo verò similes efficit iustitia, et sanctitas prudentiæ copulata. Quamobrem ex Socratis sententia summam in Deo bonitatem constituemus, summam autem malitiam in hac inferiori regione: ipsos autem homines in medio quodámodo collocatos, vt arbitratu suo vel ob bonitatem

illam summam, vel ad hanc extremam malitiam iter dirigere possint. Ad illam bonitatem nos virtutes, ad hanc autem malitiam peccata perducere solent. Itaq; quò quis diligentius virtutibus, atq; bonis actionibus incumbit, tantò propius ad illam bonitatem accedit, atq; ita melior fieri dicitur: vt quò magis ad ignem quis accedit, tantò fit calidior: contrà verò, quantò quis pluribus vitijs inquinatur, tantò magis ad extremam malitiam tendit, & deterior efficitur. Atq; hac sanè ratione facilè fieri potest, vt bono viro melior, & temperante temperantior inueniatur: cùm enim nullus homo perfectè bonus esse possit, quoniam hoc solius Dei proprium est, vt in Protagora Platonis legimus: potest tamen aliquis tantum in virtute proficere, vt Deo quasi similis effectus longè melior cæteris dicatur, qui ad eandem virtutem nituntur: quod idem etiam de illo, qui malitiam amplectitur, intelligendum est. Itaq; de ijs, qui vel probitate, vel malitia cæteris antecellunt, loquitur in Mnioë Socrates: vbi confirmat, Virum bonum similem esse Deo, & rem omnium sacratissimam: Malum autem hominem contrà rem esse prophanissimam. Cùm igitur perspicuum sit, neminem esse mortalium qui perfectè bonus dici possit: necesse est, vt vel nullus omnino bonus dicatur, vel si quis dicitur, alius alio melior sit: Bonus enim ille tantùm, sine dubitatione dicitur, qui per virtutem

tutem Deo similis effici studet. Quod cùm alius alio studiosius, atq; diligentius efficiat: certè melior ille rectè dicetur, qui pluribus virtutibus instructus fuerit: alioquin nihil studium illud acrius adipiscẽdæ virtutis, huic qui reliquos antecellit omnino prodesset, si nihilo melior propter illud efficeretur. Possem equidẽ in hac parte disertus videri, si in communibus locis expatiari velim, & exemplorum multitudine probare, quanta semper fuerit inter bonos viros differentia: vt quamuis plurimi & boni essent, & dicerẽtur, alius tamẽ alio longè melior, atq; præstantior fuerit: sed hoc probationis genere, non nisi cum opportunum mihi visum fuerit, vt statui: vt hanc ipsi Ciceronis, eiusq; sectatoribus, gloriam relinquam: qui cùm planiciem aliquam apertam vidẽt, in qua facilè exultare possit oratio, eam statim arripiunt: me verò hoc in genere disputationis breuia & acuta delectant. Dico igitur, quamuis illud Ciceroni concedamus, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec sapiente sapientiorem inueniri, quod omnino falsum est: non tamen rectè concludi posse, pares inter se virtutes omnes esse. Quid enim si quis Fortitudinem cum Iustitia conferat? audebit'ne dicere Cicero, Iustitiæ parem esse fortitudinem? atqui si hoc diceret longè sapientiorem Agesilaum existimarem, qui cùm aliquando interrogatus fuisset, vtra maior esset virtus

iustitia'ne, an fortitudo: respondit, Nulla esset fortitudinis vtilitas, nisi præsens adesset iustitia: quòd si iusti mortales essent vniuersi, nihil omnino fortitudinis egeremus. Videtur'ne Rex sapientissimus illis verbis ostendisse, longè maiorē fortitudine virtutem esse iustitiam? quod Aristoteles tertio Topicorum his quidem verbis affirmat; Quæ seipsis cōtēta sunt, meliora sunt quā quæ egent alijs: quod in iustitia et fortitudine cernere licet. Nā si iusti omnes essent, nihil loci esset fortitudini: at si fortes essent, iustitiā tamen requirerent.

Quòd si nihil à reliquis virtutibus iustitia differt, cur eam igitur primo de Officijs libro ipsemet Cicero dominam & reginam virtutum omnium appellat? eius enim hæc verba sunt, cùm de Iustitia loquitur: Hæc vna virtus sola domina omnium, et regina, virtutum. Quod ab Aristotele ex quinto Ethicorū sumpsisse videtur, cuius hæc sunt verba: Ob eamq; caussam hæc vna virtus omnium est domina, & regina virtutum: neq; Hesperus, aut Lucifer, tantam sui excitant admirationem: ex quo factum est iam tritum sermone prouerbiū, Iustitia vna omnes reliquas virtutes cōtineri. Quamobrem vel necesse est, vt sibi ipsi contradicat Cicero, & probet, iustitiam non esse virtutum omnium præstantissimam: vel si hoc concedit, quod nullo modo, si constare sibi vult, negare potest: illud statim totum huiusce disputationis fundamētum

ruit,

ruit, Vinciturq́;, neutiquã inter se virtutes esse pares, quoniã reliquas omnes iustitia supereminet. Quid igitur iam prodest illud tibi Cicero si concedamus, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem esse virũ? Sed hoc tibi nemo paulò doctior concesserit: fuit enim bonus vir (vt accepimus) Aristides Atheniensis, sed eo longè melior Socrates: fuit temperans Plato, verùm Xenocrates multò temperantior, & adhuc Xenocrate temperantior Epictetus Stoicus: fuit fortis Themistocles & Epaminondas Thebanus, sed longè fortiores duo Scipiones Africani, maior, & minor: fuit sapiens Solon & Lycurgus, verùm Socrates ab oraculo sapientissimus omnium iudicatus est. Quamuis enim nemo perfectè sapiẽs esse poßit, quoniam hoc diuinitatis est proprium, vt in Apologia sua Socrates fatetur, & Metaphysicorum primo comprobat Aristoteles: tamen quoniam diuinarum atq; humanarum rerum cognitionem sapientiam esse, vnà cum ipso Cicerone volumus: haud dubium esse potest, quin quotiescunq; aliquis vel modicã de Deo, aut de rebus humanis cognitionem habet, ex ea parte sapiens dicatur: quantoq́; maiorem de diuinis, atq; humanis rebus cognitionem adeptus fuerit, tantò etiam sapientior rectè dici potest: atq; hoc est, quod in secundo Metaphysicorum dixit Aristoteles, Veritatis cognitionem, quæ sapientia est, partim quidẽ esse facilem, partim autem

difficilem. Est enim ideo facilis, quoniam omnes eam aliquo modo participant: difficilis autem, quia nemo potest eam perfectè consequi. Sed quis est omniũ quin intelligat, in acquirenda rerum præclarißimarum cognitione, quamuis duo vel plures multum excellant, alium tamen alio præstantiorem esse posse? Qui ergo iam multum in sapientia profecit, is rectè sapiens vocari potest. Sed si quis eum, qui multum iam profecit, longè antecellat, quis est adeò rerum ignarus, quin videat, rectißimè sapientiorem appellari? Deinde cùm in Theæteto Socrates doceat, Dei cognitionẽ summam esse sapientiam: facilè potest intelligi, aliquam etiam esse sapientiam, quæ summa non sit, vt rerum humanarum scientia. Quãobrem inter ipsas sapientias gradus reperiẽtur, vt altera maior, altera minor sit: ergo etiam homines qui eas adipiscuntur, alius alio sapientiores esse possunt. Sed nimium immoror in re clara, ac minimè dubia: reliqua videamus. Probare conatur Cicero, Bono viro nullum esse meliorem, neq; temperante temperantiorem, sed qua ratione? audite obsecro validißimum argumentum, & risum continete, si potestis: An virum bonum (inquit) dices, qui depositum nullo teste, cùm lucrari impunè posset auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem millibus non idem effecerit? aut temperantem eum, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? O' plumbeum

pugionem! hac igitur te ratione probare putas Cicero bono viro nullum esse meliorem? quo tandem modo? nullam enim hic ego probationem video: nam qui depositum reddit, benè facit: qui non reddit, malè facit, etiam si impunè lucrari poßit: ergo vir bonus semper depositum reddet, malus autem fortasse aliquando reddet, aliquando non reddet. Tu igitur mali viri nobis exemplum proponis, qui auri pondo decem sibi deposita reddat, decem millia non reddat: nos autem de bono viro loquimur. Quorsum igitur exemplum istud? aut quid tandem in hac parte conaris ostendere? video enim te à proposito longè discedere: cùm enim proposueris, Bono viro nullum esse meliorē, postea nobis improborum exempla cōmemoras: vir enim improbus in aliqua se fortasse libidine cōtinebit, sed in alia deinde se effundet: at qui verè temperans est, nunquam se libidini tradet: nihil igitur aliud ista tua exempla probant, nisi bonum virum esse bonum, & temperantem esse temperantem: quia bonus vir semper depositum reddit, temperans à libidinibus semper se continet. Scio hoc ego Cicero, sciunt omnes, Bonum esse bonum, de hoc non dubitamus: proba nobis illud, quod proposuisti, Nullum esse bono meliorem: non enim hoc credimus, non fit nobis verisimile. Videmus eum, qui se à libidinibus continet, bonum existimari: sed qui præter hoc etiam sapientißimè Rempub. administrat, longè

potest, quò magis virtus sit: nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur. Sit ita sanè: quid tum sequitur? pares esse virtutes? quomodo? non enim hoc illi consectarium esse video: vt si quis ita argumentetur, Nihil arbori addi potest, quo magis arbor sit: nihil demi, vt arboris nomen relinquatur: igitur æquales inter se sunt omnes arbores. An non acutissimè videtur hoc esse conclusum, vt altissimæ populo Corylus humillima æqualis sit? Videtis'ne mirificum in disputando Ciceronis acumen? & profectò sibi placebat in his Paradoxis, cùm ad Brutum scribens inquit, Nihil tam incredibile esse, quod non dicendo fiat probabile. Cui hoc probabile est Cicero? Nihil homini addi potest, quo magis homo sit: ergo omnes homines sunt æquales? vt breuissimus nanus, quia homo est, cuiuis longissimo giganti æqualis sit. Quid autem hoc illi tuo dissimile? Nihil virtuti addi potest, quò magis virtus dici possit, ergo virtutes inter se sunt æquales. Quòd si tibi hoc modo respondeã, caue Cicero putes isto tuo argumento aliquid esse conclusum. Concedo enim virtuti nihil addi posse, quò magis virtus sit: neque tamen id sequitur, quod ipse vis effici: profectò hærebis, & quò te vertas non habebis. At verò si illud ego adiunxero, Nihil virtuti addi potest, quò magis virtus sit, sed vt maior virtus sit, plurimum addi potest: vt populo paruæ, aut pinui, nihil addi potest, quò magis populus, aut pinus sit: sed

vt sit maior, quis non videt, quãta fieri poßit acceßio? & puero nihil addi potest, vt magis homo sit: sed vt maior homo fiat, quis ignorat ad plenam pubertatem vsq; semper augeri posse? Certè non dubium est, quin se victum in hac parte Cicero ipse fateatur, cùm suum illud Enthymema falsum omnino, meum autem maximè probabile, atq; adeò verum esse videatur. Nam res omnes, quo ad naturam suam attinet, neq; magis, neq; minus dicuntur: hoc enim non substantiæ, siue (vt ita dicam) essentiæ ipsius, sed euctorum proprium est, vt vel magis, vel minus dicantur. Verùm vt melius animi mei sensum vobis exprimam, hac vtar distinctione, quam verißimam esse intelligetis. Dico igitur euenta tribus potißimum modis consyderari posse, vel quod ad naturam suam attinet, vel quod ad quantitatem eius rei, in qua sunt, vel quod ad ipsorum communicationem, quæ in rebus perspicitur. Quòd si natura ipsa euentorum spectetur, neq; magis, neq; minus in eis dicetur: vt candor non magis ille est, qui in niue reperitur, quàm qui in cygno: neq; magis virtus ea dicitur, quæ in Platone est, quàm quæ in Xenocrate. Si verò quantitas eius rei, cui candor inest, aduertatur, maior & minor rectè dicetur: vt si totum aliquod ædificium candidum sit, maior erit ille candor, qui in toto ædificio est, quàm qui tantùm in aliqua ædificij parte. Deniq; si euentorum communicationem spectauer

ctauerimus, tunc rectißimè magis et minus dicemus: vt si Thaidi, atq; Phrynæ candor communicatus sit, sed maiorem Thais candorem, minorem Phrynæ sortita sit, Thais magis candida, Phrynæ verò minus rectè dicetur. Eadem est etiam virtutis, & vitij, & reliquorum id genus ratio, vt si virtutis naturam spectes, non magis vna virtus sit, quàm altera: si verò magnitudinem rerum gestarum ab eis, in quibus virtus inest, spectare volueris, certè maiorem exempli gratia virtutem in Pompeio, quàm in Crasso, & in Cæsare quàm in Bibulo reperies. Deniq; si communicationem virtutis aduertas, magis etiam & minus in ea rectè dices: vt si Curio & Fabricio virtus communicata sit, sed maior in Fabricio, minor in Curio videatur: certè Fabricius magis virtute præditus, Curius verò minus verißimè dici poterit. Quamobrem ita de virtute concludo, quod etiam de cæteris qualitatibus, atq; euentis: eam aliquo modo neq; magis, neq; minus dici, quoties eius natura spectatur: aliquo modo & maiorem, & minorem rectè dici, quoties earum rerum, quæ per virtutem geruntur, quantitas attenditur: aliquo deniq; modo & magis & minus inesse dici, quoties eos consyderamus, quibus virtus communicata sit: nam alius alio iustior, alius alio prudentior appellatur. Quæ cùm ita sint, quis iam nō illud merito rideat quod sequitur: Etenim si benefacta rectè facta sunt,

sunt, & nihil recto rectius: certè nec bono quidem melius quicquam inueniri potest. Ad benefacta recurris Cicero? quid est quod aduersarius tuus magis exoptare possit? Nam si in nomine tãtùm virtutis constitisses, fortasse tibi difficilius respõdere possem: cùm verò ad virtutis effecta venias, facillima mihi te conuincendi, atq; refellendi ratio proponitur. Non enim quemquam tam impudentem esse arbitror, quin mihi benefacta aliјs alia maiora concedat. Sed ne longius abeam, à te peto Cicero, fuerit'ne illud benefactum, cùm tibi Fuluia coniurationis inita consilia patefecit? certè non negabis. Rursum à te peto: fuerit'ne benefactum illud tuum, cùm expulso Catilina, atq; profligato eius nefario conatu, salutem patriæ penè amissam restitueris? quo tuo facto tantopere gloriaris, vt etiam ad nauseam vsq; tuis in scriptis identidem illud inseras. Etiam hoc, & maximè benefactum esse dices. Hæc igitur cùm à te concessa accepero, tuis istis rationibus ita concludam: Si benefacta rectè facta sunt, & nihil recto rectius, certè Fuluiæ benefacto Ciceronis benefactum non erit melius, cur igitur Fuluia non Mater patriæ, sicut tu pater patriæ fuit appellata? aut cur tu benefactum tuum tantopere extollis, de Fuluiæ verò benefacto ne meministi quidẽ vsquam, quod sciam? Aut igitur inuidus, atq; improbus fuisti, quòd non æqualem Fuluiæ laudem impartiueris: aut si

longè

longè maius tuum benefactum fuit, hoc in loco sine ratione garrire te profectò vides. Nam qui ciuem seruat, certè benè facit: qui verò centum, longè melius facit. Quid siquis exercitum? quid si vrbem? quid si totum imperium? non'ne hæc quò maiorem afferunt vtilitatem etiam eò maiora benefacta sunt? Quid igitur valet illud tuum, Sequitur vt etiam vitia sint paria siquidem prauitates animi rectè vitia dicuntur. Quod in te sanè conuerti hoc modo potest: Quoniam virtutes non esse pares declaratum est, sequitur vt ne vitia quidem sint paria: contrariorum enim contraria sunt cõsequentia: virtutes autem vitijs contrariæ sunt, siquidem virtutes animini æquitates, vitia verò prauitates rectè dicuntur. Illa verò duo quæ sequuntur effata, non tantùm falsa, sed etiam absurda sunt. Quoniam (inquit) pares virtutes sunt, rectè etiam facta, quando à virtutibus proficiscuntur, paria esse debent. Perinde quasi iam viceris, Cicero, Pares esse virtutes: aut si id concesserimus, necessariò sequatur, vt etiam rectè facta paria sint. Nam & illud falsum est, vt ostendimus: & hoc nullo modò consequens esse potest. Non enim necesse est, vt quæ à paribus rebus proficiscuntur, etiam ipsa paria sint: vt si duo paria sint animalia, nõ ideo necessariò parem fœtum emittunt: neq; pares arbores necessariò stolones pares generãt. Quòd si dixeris, hoc non in rebus naturalibus, sed in volun-

tarijs

tarijs accidere. Neq; hoc verum est: nam sæpenumero accidit, vt par virtus nequaquã parem effectum edere possit. Plurimum enim ad facilitatem, aut difficultatem, & ad magnam, aut paruam gloriam momenti habent res illæ, in quibus virtus exercetur: sicuti duo eiusdem artis, atq; pari prudentia opifices, si alter ferrum sculpendum, alter aurum sumat: quis non videt, quanta sit inter eorũ opera differentia futura? Eodem modo, si duo pari iustitia præditi viri fuerint, quorum alter, exempli gratia, rebus venalibus præficiatur, alter autem Rempub. administret: poterit'ne verè dicere Cicero, quæ vterq; rectè fecerit, quoniam pari virtute præditi sunt, ea inter se paria esse? vt si hic ciuitatem ab ingenti calamitate fortè liberarit: ille verò nequis in cõtractibus deciperetur, effecerit? Quamuis igitur pares inter se virtutes essent, non tamen necessariò sequeretur, vt rectè facta essent paria. Quod etiam de vitijs atq; peccatis intellectũ volo, vt quamuis essent paria vitia, non tamen ideo sequeretur, vt malefacta æqualia esse necessariò cõcludendum esset. Et gloriaris Cicero te à Philosophis ista sumere? à quibus quæso Philosophis? num à Platone? num ab Aristotele? equidem in horum Philosophorum scriptis tales ineptias non reperio. Quòd si vnquam tale genus argumentorum apud eos, qui Philosophiam profitentur, reperissem, eos profectò vel tardipedi Deo (vt ait Catullus)

tullus)

tullius) dedicassem, vel omnem eorum Philosophiam fortasse meritò contempsissem. Quod est enim hoc in tertio Paradoxo argumētum Philosopho dignum? Imò potius, quæ conclusio est, quæ nō pinguis & crassa sit? Et audes dicere, Socratem isto modo disputare solitum? Vbi, quæso, genus istud, aut istam differendi formulam apud Platonem, vbi Socrates acutissimè disputat, reperisti? Profer, quæso, locum vbi Socrates isto modo disputet. Magnam verò Socrati laudem attribuis, quòd eum isto disputandi genere, quo tu vteris, vti solitum dicas. Non possum equidem nō indignari, quòd hanc Socratico nomini labem inurere tentes Cicero: non enim tibi satis est, quòd istorum Paradoxorum Socratem fingis autorem, à cuius doctrina penitus abhorrent, & absunt quàm longissimè: sed cùm magnam inanium argumentorum farraginem collegeris, adiungis deinde, Socratem isto modo disputare solitum. Quid hoc aliud est, quàm dicere, Socratem isto modo delirare, atque mentiri solitum? Nam quæ hactenus dixisti, sine dubitatione falsa sunt omnia. Scilicet isto modo Socrates disputabat, cùm Gorgiam, Polum, Calliclem, Hippiam, Phædrum, Alcibiadem, Critonem, cæterosq; plurimos, qui passim apud Platonem leguntur, etiam inuitos, & repugnantes, in sententiam suam adducebat. Quis non eum obsecro molli (quod aiunt) brachio repulisset? quis non irrisisset, ac

penitus contempsisset, si isto modo disputasset? Sed nimirum longè alia est apud Platonem disserendi ratio, quam incertè Cicero, quod satis apparet, nullo modo percepisti. Nihil enim eiusmodi Socrates sumit, quod ab aduersario non facilè concedatur: atq; ita semper progreditur, vt positis quibusdam & concessis, aliud quiddam, quàm ea quæ posita sunt, ex ijs ipsis quæ posita sunt, ostendat effici necessariò. Tu verò Cicero sumis ea plerunq;, quæ tibi nemo concesserit: & ex eis deinde concludis, quæ minimè necessariò consequantur. Non igitur Socrates isto modo disputabat, quem frustra in hoc loco dilaudas, & doctum atq; sapientem fuisse dicis, nihil enim eius tibi doctrina atq; sapientia prodest ad id, quod conaris ostendendum, quoniam ab ea penitus alienum est. At si Dijs placet, in hac parte facetus esse voluisti, cùm te nõ à lenonibus, sed à Philosophis ista sumere dicas: & non pugnis, sed verbis contendere: neq; quærendum esse, quid baiuli, atq; operarij, sed quid homines doctissimi senserint. Sed quinam sunt isti viri doctissimi, qui hæc tam inania, atq; inepta senserint? Nunquam certè probabis, Socratem, Platonem, Aristotelem qui verè doctissimi fuerunt, in hac fuisse sententia, vt æqualia essent omnia peccata: quin potius (vt infra docebimus) longè aliter senserunt, & grauioribus peccatis, grauiores etiam pœnas irrogandas censuerunt, quemadmod

admodum ipse communis sensus, et vera ratio dictare videtur omnibus. Iam verò, quasi viceris, sententiam istam esse veram, conaris etiam ostendere, longè vtilissimam esse. Sed qua tandem ratione? Quoniam (inquis) nulla vis est, quæ magis arceat homines ab improbitate, quàm si senserint, nullum in delictis esse discrimen. Ego autem longè aliter euenturum intelligo, si hæc in aliquorum opinione sententia sederit. Nam improbos longè deteriores efficeret: probos autem ad rectè agendum multò tardiores. Quis enim paulò auarior cùm intelligat nullum in delictis esse discrimen, non malit talentis mille, si possit, sociũ fraudare quàm talento vno? Nunc enim improbi, cùm ad maleficium accedere cupiunt, sæpenumero à grauioribus abstinent, leuiora committunt: quòd si crederent, peccata esse æqualia, cùm eis, dum improbi sunt, peccare quasi necesse sit, grauiora potius quàm leuiora perpetrarẽt: vt siquis omnino decreuit alicui nocere, si grauius existimet esse interficere, quàm vulnerare, fortasse tantùm vulnerabit: at si nihil interesse credat, haud dubium est, quin potius sit interfecturus: atq; eadem est etiam in reliquis ratio. Quid autem de benefactis dicam? quæ si omnia paria sunt, magnam certè nobis ad ignauiam ansam præbent. Quis est enim, qui pro patria, pro communi salute, pro humano genere, magna pericula adire, magnos labores sustinere, magnas

subire molestas, mortem deniq; pati velit, cùm intelligat, etiam si omnia hæc præclarè gesserit, nihilo tamen se maiorem virtutem adeptum, aut nullum rectius factum edidisse, quàm si domi suæ quietus & otiosus sine improbitate vitam egisset? & tam benè segeßisse, si petenti medico cibum aut potionem dederit, quàm si patriam suam à cæde atq; incendijs liberarit? Prò Deum immortalem, hæccine sunt tandem, quæ nos ista tua sententia Cicero docet? Lapsa est libido alicuius in meretrice, statim ille secum inquiet, quid egi miser? peccaui, lineas transiui: sed postquam ita accidit, age iam quàm longè progrediar, ad augendam culpam nihil attinet: possum ergo matronas violare, virgines constuprare, vestales contemerare: nihilo enim hoc maius peccatum est, quàm id quod in meretricem commisi. Hæc summa est illa vtilitas, quam ab ista sententia tua possunt homines percipere, vt deteriores improbi fiant, boni verò segniores. Neq; enim id verum vllo modo esse potest, quod ais, arceri magis ab improbitate homines, si senserint nullum in delictis esse discrimen. Nam qui probi sunt, nequaquã delictorum paritate à peccando abstinent, sed quia rectum & honestum id esse iudicant: qui verò sunt improbi, pœnæ formidine sæpenumero quidẽ peccata relinquunt, et quæ maiora putant plerunq; refugiunt: sed si intellexerint, nullũ in malefactis discrimen esse, nemini

nemini dubium esse potest, quin libidini totas habenas laxaturi sint, & in omne sceleris genus prolapsuri: ut ne ab exemplo Ciceronis recedamus, si quis magistratum aliquem, aut Regem, aut Pontificem, aut Sacerdotem inimicum habeat, fortasse propter dignitatem eam qua præditus est inimicus illi parcet, neq; etiam si possit, interficere audebit, quia persuasum habeat, grauissimum esse crimen publicam personam quæ maximè Reipub. sit utilis, aut quæ sacris præsit, interficere. Quòd si intelligat, nihilo maius esse peccatum, talem personam è medio tollere, quàm si quemlibet priuatum atq; abiectum hominem è medio sustulerit: nulla certè erit mora, quin quacunq; ratione possit, interficere conetur. Eodem modo, si quis vestalis virginis amore captus sit, & exploratum habeat, maximum flagitum, atq; scelus esse, talem virginem violare, fortasse etiam si possit, ne tantum in se flagitium admittat, non violabit. At verò si quis ei persuadeat, non esse hoc maius peccatum, quàm coire cum meretricula: non erit dubium, quim omnes machinas admoturus sit, ad expugnandam virginis illius vestalis pudicitiam. Videtis igitur, quam utilitatem apportatura sit hæc Ciceronis sententia, qua nullam utiliorem esse censet. Verùm fortasse iam defessi estis tot nugis meis audiendis. Defessi nos (inquit Octauianus) imò verò plurimum ista tua me oratio delectat,

in qua non tantùm singulas Ciceronis clausulas discutis, verùm etiam multa docta atq; erudita interponis. Sed (vt ingenuè fatear) nimiũ ad viuum (quod aiunt) mihi resecare videris: neq; dum omnia dicta vis expugnare Ciceroni parcis, cum quo fortasse modestiùs agendum erat: nam inter nos omnia profectò licet dicere. Sed si hæc nostra disputatio vulgata fuerit, & intellexerint ij, qui magis quàm seipsos Ciceronem amant, ab Antonio Comite Ciceronem suum, imperitum, ineptum, fallacem, nugatorem fuisse appellatum, vide ne te odio plusquam Vatiniano prosequantur, et in te dentatam (vt aiunt) chartam exerceant; atq; etiam tibi cauendum erit, nequis paulò audacior cominus tecum rem gerat, & à te ne manus quidem abstineat. Tunc ridens Antonius, Equidem nullum, inquit, hominem Ciceronis studiosum, præter hunc Maioragium pertimesco: quid enim reliqui de me dicturi sint, non curo. Hunc autem scio, si voluerit, posse meam hanc loquacitatem suo illo disputandi artificio, quod tibi Octauiane, qui ab eo didicisti notissimum est, reprimere, atq; refellere. Sed quæ causa est, vt mihi irascantur Ciceronis amatores? an non illis concedo summum oratorem esse Ciceronem? an non fateor eum mirifica, ac penè diuina eloquentia præstare? quid amplius volunt? an vt etiam summum eum fuisse Dialecticum, atq; Philosophum dicam? equidem hoc in eo

non

non video. Quòd si ineptus est is, qui ea tractare aggreditur, quorum vsum non habet: videat Cicero, ne meritò possit ineptus in hac parte vocari. Perge porrò inquam ego, Antoni: sed vide, ne ista tua audacia in neruum (vt aiunt) erumpat: nam à me nullo modo poteris impunè discedere, quòd tam nefariè sanctissimos illos Ciceronis manes violare non dubitaris: quòd nisi mihi tanta esses affinitate coniunctus, aut nisi te tanto amore prosequerer, excitarē profectò in te disertissimos iuuenes Ciceronianos, Paulum Manutium, Octauianum Ferrarium Sebastianum Conradum, fortasse etiam quamuis grandiorem iam natu Barptolomeum Riccium, summum illum Ciceronis amatorem, qui omnia illa longè veriùs in te conuerterent, & te verè ineptum, imperitum, fallacem, nugatorem ostenderent. Tum ille ridens, Ne saeui quaeso, inquit, Maioragi: sed aequo animo patere quaecunq; eueniunt: nam etiam ego prompto animo pati paratus sum, siquis me audacem, atq; imperitum appellet: modò rationes has meas, quas in Ciceronem protuli diluat omnes: & ostendat, iniustè Ciceronem à me accusari. Sed dum haec argumenta mea fuerint irreprehensa, atq; inexpugnata, faciet omnino ille ineptè, atq; imperitè, quicunq; me audaciae, atq; imperitiae condemnare voluerit. Sed his ne contenti estis, quae hactenus dixi: an etiā addi vultis alia, quae reliqua sunt? Absoluenda

(inquit Cardanus) tibi disputatio est, Antoni: scis enim Hesiodi praeceptum esse, cùm quis domum extruere cœperit, ne illam imperfectam relinquat: nam nos etiam reliqui, qui hodie venimus, in Ciceronem aliquid omnino dicere decreuimus: hi enim mihi adolescentes in via se paratos esse dixerant. Ego autem licet adhuc nihil excogitarim, tamen hodie spatium aliquod ad cogitandum sumam. Pergratum hoc, inquit Antonius, mihi futurum est: nam si fortè ab istis Ciceronianis condemnatus fuero, calamitatis meæ socios habiturus sum. Sed audite, quibus ea, quæ contradici possunt, argumentis refellat Cicero: Nihil'ne igitur interest (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an seruum? Expecto Cicero, quid ad hãc obiectionem respondeas. Sed memento de peccatorum æqualitate te verba facere: ne fortasse aliquid respondeas, (vt soles) quod nihil ad propositum faciat. Nuda (inquit) ista si ponas, iudicari qualia sint non facilè possunt. Qua de causa obsecro? aut quid est tandem quod indicium impediat, si constet vtrunq; peccatum esse? nos enim de peccatis institutam à te disputationem videmus. Sit ego peccatum, patrem interficere: sit peccatum, seruum necare: deinde responde mihi, Nihil'ne inter hæc peccata interest? Patrem, inquit, vita priuare, si per se scelus est, Saguntini qui parentes suos liberos emori, quàm seruos viuere maluerunt, parricidæ

fuerunt

fuerunt. Hoccine modo mihi respondes? quid hoc ad propositam quæstionem? an non vides te aliam quandam, & quidem difficilem disputationem ingredi? Vtrum Saguntini peccarint, nec ne, quòd parẽtes suos emori liberos maluerint, quàm seruos viuere? Nos autem hoc à te non petimus, vtrum illud Saguntinorum factum peccatum fuerit, nec'ne: disputetur alio tempore, quoniam nihil ad propositum facit: nos enim de ijs, quæ constat esse peccata, quærimus, vtrùm paria sint, nec'ne: solue igitur propositam quæstionem. Parenti, inquit, nonnunquam adimi vita sine scelere potest, & seruo sæpe sine iniuria non potest. Prò bone Iupiter, quàm importunè, Cicero, quæstiones quæstionibus accumulas, neq; vllam soluis. Quid enim hoc loco prodest intelligere, vtrum parenti nonnunquam adimi vita sine scelere possit, nec'ne? an non vides à scopo te longè aberrare? Sed dic mihi Cicero, quoniam te sine ratione vagantem reuocare domum oportet, cùm parentis sine scelere, si modo hoc accidere potest, vita adimitur, est'ne hoc peccatum? Minimè verò: quod enim sine scelere, ac sine iniuria fieri potest, quæ causa est, vt id peccatum appelletur? vide igitur tandem, quo modo mihi respondeas: cùm enim inter se peccata comparamus, non quærimus ea, quæ peccata non sunt: vt si fortè quæram ab aliquo, vter acutius, et ingeniosius: Aristoteles'ne, an Plato disputat:

& is ita mihi respondeat, interdum Aristoteles non disputat: possent'ne auditores risum cōtinere, qui tam absurdam responsionem audiant? Quid hoc Cicero tuum ab illo differt? Vtrum maius peccatum est, patrem'ne interficere, an seruum? Interdum, inquit, patrem interficere peccatum non est. Sed quid hoc ad rem? non enim quæro, quando non sit peccatum: sed cùm vtrunq; peccatum est, vtrum maius sit? Causa, inquit, hæc, non natura distinguit: quæ quando alteri accessit, id fit propensius: si vtriq; adiuncta sit, paria fiant necesse est. Hæc mera fuga est, & aperta fallacia: nam quæ tandem est ista causa, quæ peccata distinguit? potest'ne esse iusta aliqua peccandi causa? Certè non tam amens eris Cicero, vt hoc dicas: quoniam nulla vnquam tanta causa reperitur, propter quam debeat aliquis ab honestate recedere. Quæro igitur, quæ sit ista causa: nam si quis parentem propter aliquam iustam causam, quam leges, & ratio probet, interfecerit, nullum est peccatum: si verò non iusta de causa quis et parentem & seruum interficiat, eodem reuoluimur: quæram enim, vtrum maius peccatū sit. Sed cùm vtriq;, inquit, adiuncta causa est, paria fiant necesse est. Quibus nos præstigijs ludis Cicero? certè ne te quidem satis aduertisse arbitror, quid hoc loco diceres. sed id vnum studuisse, vt in falsa, & nugatoria causa, aliquid dicere videreris. Quod facile sanè

tulissem,

tulissem, nisi grauissimum Socratis, & veritatis nomen nobis obiecisses: vt qui istas tuas ineptias legerent, eas & Socraticas, & veras existimarent. Sed explica, obsecro, nobis causam illam, quæ vtriq; sceleri adiuncta, faciat tam graue peccatum esse, seruum necare, quàm parentem: cur eam nobis abscondis? cur non patefacis? an eam tanquam Cereris mysteria vulgare nefas est? Maximam profectò causam istam esse oportet, quæ cum peccatis adiungitur, ea necessariò paria faciat: sed eam cupio mihi declarari, neq; enim aliter vt isti tuæ conclusioni credam, adduci possum, nisi prius illius causam mihi demonstraris: nam ab Aristotele didici, nullam conclusionem necessariò veram esse, quæ non à causis suis deducatur. Sed ipse ais, necessariò peccata esse paria: fac igitur, vt causa nobis appareat. At profectò nulla penitus excogitari vera potest: neq; enim quæ falsa sunt, causam vllam, vt sint, habere possunt. Cùm igitur nulla sit causa, quæ nos tam absurdæ conclusioni fidem habere cogat, meritò te possumus irridere Cicero, qui pluribus in locis hoc in paradoxo te necessariò concludere putes. Sed tandem ad propositum redis, atque in causa propria præuaricaris. Concedis enim in seruo necando, si adsit iniuria, semel peccari: in patris vita violanda, multa peccari: quoniam violatur is, qui procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, is qui in sede, ac domo, atq; in

Repub. collocauit: itaq; multitudine peccatorum præstare, eoq; maiore pæna dignum. Hoc est, quod à te volebam, Cicero: neq; enim mihi persuadere poteram, te in tam absurda sentẽtia esse, vt eadem pœna dignum putares, qui seruum interfecisset, cum eo, qui patrem paricidiosè vita priuasset. Maiore igitur pœna dignus est parricida. Quid ita? quia in patris vita violanda, multa peccauit. Siquis igitur probaret, vnum tantùm scelus atq; peccatum esse, patrem interficere: an non, quia maiore pœna dignum est, etiam grauius peccatum esset? Certè de hac re nemo dubitare potest. Age ergo, quoniam tecum hac in parte mihi iocãdum est; qui patrem per iniuriam interficit, an non malè facit? Nemini dubium id quidem est. Quid si illum vno ictu transfodiat? an nõ hoc vnum factum erit? Ne hoc quidem dubium esse potest. Ergo qui patrem interficit hoc modo, quia malefacit, et id vno ictu facit, id vnũ malefactũ erit? Ita profectò est. Sed mihi quæso dic Cicero, Malefacta pctã sunt, an non? iam à te concessum est, esse peccata: igitur si malefacta pctã sunt, etiam vnum malefactum vnum peccatum erit. Sed iniuria patrem interficere, vnum est malefactum: ergo etiam vnum peccatum est, grauius autem punitur & maiori pœna dignus est parricida, quàm qui seruum necauit, ergo patrem interficere maius peccatum est, quàm necare seruum. Nam si ratio illa admittatur, quod in

vno facto multa peccata sint, nullum peccatum inuenietur quod vnũ sit. itaq; neq; illud verum erit, quod in seruo necando semel peccetur, possum enim ita dicere, violatur is qui nobis seruit, qui nostra curat, qui domesticus est, qui nostram effigiem præ se fert, qui vitam suam pro nobis profundere paratus est, qui deniq; homo est. Age verò, quid ad hoc respondebis Cicero, Seruum & parentem per iniuriam interficere, peccare est: sed quia qui parentem interficit, maiori pœna dignus est, necessarium est, vt etiam magis peccet, alioquin iniustæ leges essent. Sed qui magis in re aliqua peccat, maius peccatum committit: non igitur paria sunt peccata. Sed, inquis, nos in vita non quæ cuiq; peccato pœna sit, sed quantum cuiq; liceat, spectare debemus. Quare Cicero? nullam enim rationem video, cur ea quæ grauius vindicantur, non maiora scelera existimem: affer ergo rationem. Sed nulla est. Vis igitur vt tanquam oraculis quibusdam tuis effatis sine ratione credamus? saltem aliquam rationem ineptam, falsam, excogitasses, ne planè nobis illudere videreris. Nõ debemus spectare, quæ cuiq; peccato pœna sit? cur? Nescio, inquit: peto vt hoc mihi credas. An non te pudet Cicero, ea quæ nemo cõcesserit, tanquam axiomata quædam omnibus nota sumere, vt veritatem subuertas? An te præterit, nihil omnino turpius esse, quàm sine ratione verba profundere? imò verò

solent omnes, contra istam sententiam tuam, quæ cuiq; peccato pœna sit spectare: atq; ex ea de peccati grauitate, vel leuitate, iudicare. Sapientissimi enim legũlatores, & maiores, & minores pœnas delictis irrogarunt, vt rectam proportionem obseruarent: maiora enim peccata maioribus pœnis, minora minoribus vindicari iustissimũ est. Sed, inquit, quicquid nõ oportet, scelus esse: quicquid non licet, nefas putare debemus. Esto ita, vt quicquid contra honestatem perpetratur, peccatum sit, & nulli penitus peccare liceat, vt in minimis etiam rebus à peccato cauendum sit: hæc sanè omnia concedimus, quoniam & Socratica, et vera sunt. Sed ex his confici, vt omnia peccata sint æqualia, nullo modo uolumus: quoniam nulla ratio est omnino, quæ nos id credere compellat: quin potius plurimæ sunt, quæ nos in contrariam sententiam adducant. At nobis histrionis & Poëtæ similitudinem adducis, qui exibilantur, & exploduntur, cùm in vna syllaba peccauerint. Quid tum? concedam enim etiam ciuem accusari, atq; reprehẽdi debere, qui in re quamuis leui peccauerit. Sed erit'ne ideo confectum, vt tantundem peccet, idemq;, (vt ait Horatius)

Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus diuum sacra legerit?

Sed huic tandem paradoxo coronidem imponamus, quod ita concluditur à Cicerone: Quicquid peccatur,

perturbatione peccatur rationis, atq; ordinis: perturbata autem ratione ſemel, atq; ordine, nihil poteſt addi, quo magis peccari poſſe videatur. Quæ in concluſione duo ſunt effata, quorum neutrum à Cicerone confirmatur: ſed illud primum concedimus, Quicquid peccatur, rationis perturbatione peccari: nihil eſt enim aliud peccatum, quàm quædam à ratione digreſſio: ſed omnes animi perturbationes rationem quodammodo impediunt, et peccandi cauſam præbent. Verùm illud ſecundum omnino falſum eſt, Quòd perturbata ſemel ratione, nihil addi poſsit; quo magis peccari poſſe videatur: ſunt enim & grauiores, & leuiores animi perturbationes, quod omnes Philoſophi tradunt, atque etiam pluribus in locis Cicero teſtatur, & ipſa nos experientia, rerum omnium magiſtra, docet: videmus enim homines et leuiter, & grauiter iraſci, interdum parua, interdum magna cupiditate trahi: neq; dubiũ eſſe poteſt, quin leues perturbationes leuiter etiam rationem impediãt, graues verò grauiter. Sed cùm animi perturbationes peccatorum cauſæ ſint, neceſſariò ſequitur, vt grauior perturbatio, grauius etiam peccatum pariat, leuior autem leuius. At verò ſi plures ad vnum aliquod facinus cauſæ concurrant, quod fieri facilè poteſt: hoc eſt, ſiquis pluribus animi perturbationibus commotus in aliqua re fuerit, neceſſariò fit etiam, vt in ea grauius peccet: vt ſiquis fortè filius

improbus, molestũ patrem habeat; qui nulla in re sibi indulgere velit, eum primò fallere incipiet, deinde si pater eum verberibus afficiat, etiam odisse incipiet, quòd si nullas à patre pecunias habere poßit, quas arbitratu suo profundat, patris mortem concupiscet, neq; tamen fortasse offendet: quod si pater eum domo expellat, aut exhæredet, quoniam rectè se gerere nolit, tunc incipiet de parricidio cogitare: deniq; si qua alia causa grauis accesserit, quæ ad furias scelesti illius filij animum impellat, quacunq; ratione poterit patrem interficere conabitur. Quid ergo? perturbata quidẽ erat ratio iuuenis illius, cùm patrem fallere atq; odisse cœpit: sed non tamen vsq; eò, vt illum interficere vellet: aliæ deinde perturbationes multæ, atq; graues accesserunt, quæ tandem scelestum filium ad parricidium impulerunt. Nequaquam igitur verum esse poteſt, quòd perturbata semel ratione, nihil addi poßit, quo magis peccari posse videatur: nisi quis tam demens sit, vt par scelus esse putet, patrẽ fallere, atq; eundem interficere. Sed iam tempus est, vt ab hac disputationis parte discedamus, quoniam omnia Ciceronis argumenta dissoluta sunt: in quibus ideo fui longior, quoniam videbatur hoc in capite sibi multum Cicero placere, cùm à Philosophis ea sumpsisse argumẽta se prædicet, et Socratem ita disputare solitum affirmet. Sed cùm perspicuum sit, nihil ab eo verè, nihil acutè conclusum,

clusum, quæ reliqua mihi sunt, longè faciliora videbuntur. Restat enim vt ostendam, neq; Socraticam, neq; veram hãc esse sententiam. Neq; enim vnquam Socrates, neq; Plato paria dixit esse peccata: & ipsa ratio, atq; veritas longè aliter nobis dictat. Quod autem inter peccata multum inter esse, atq; alia maiora, alia verò minora Socrates esse velit, infinitis penè in locis apud Platonem perspici potest. Sed ne nimium longa sumatur oratio, paucis contentus ero. Ac primò in postrema Phædonis parte planissimè hoc Socrates demonstrat: vbi ostendit, peccata quædam esse sanabilia, quæ scilicet minora sunt: quædam autem insanabilia, quæ maxima sunt. Et eos, qui propter magnitudinem scelerum insanabiles sunt, qui vel sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetrauerint, in Tartarũ mergi, vnde nunquam egrediantur: eos verò qui sanabilia peccata cõmiserint, aliquando liberari. Eadem ferè in postrema Gorgiæ parte repetit, vbi tradit, Tyrannos, & reges, et ciuitatum gubernatores, acerbissimis, grauissimisq; pœnis omni tempore cruciari. Quippe cùm (inquit) hi ob ipsam peccandi licentiam grauissima prophanissimaq; peccata committãt. Videtis'ne vt Socrates peccatorum gradus constituat? & alia sanabilia, alia insanabilia, alia leuia, alia grauissima dicat esse: quòd si paria esse putasset, nunquã hæc ita profectò dixisset:

nam

nam in eodem Gorgia dicit, Iniustitiam peccatorum omnium esse grauissimam. Quare necessariò concludi ex Socratis sententia potest, alia omnia esse leuiora, atq; ideo non æqualia. Quamuis autem hæc ad ostendendam Socratis & Platonis sententiam sufficere videantur, tamen vt res etiam manifestior euadat, alia quædam ex Platonis legibus addere constitui. Nono igitur de legibus libro, ita loquitur hospes Atheniensis, qui Plato est: vt quisquis iniurias, siue paruas, siue magnas commisit, corrigatur, à lege. Auditis ne paruas, & magnas iniurias? Eodem in loco tres peccandi primas causas ponit, Iracundiam, Voluptatem, Ignorantiam. Deinde ignorantiam bipertitò distribuit, & aliam esse simplicem ait, aliam verò Duplicem: Simplicem quidem leuium peccatorum esse causam: Duplicem verò vocat, quando non ignoratione solùm quispiam detinetur, sed etiam sapientiæ opinione inflatus, quæ omnino ignorat, ea se scire prorsus existimat. hanc ait, si robur, viresq; consecuta fuerit, ingentium, turpissimorumq; scelerum causam esse. Decimo verò de legibus libro, quinq; peccatorum genera constituit, quorum ea maxima omnium dicit esse, quæ in Deos & res sacras publicas committuntur: Secundo loco ponit, quæ in patriam, & sacra priuata, atq; sepulchra: Tertio, quæ in parentes: Quarto, quæ in magistratus: Quinto, quæ in ciues aliquos, atq; homines

nes priuatos perpetrantur. Hæc eſt Socratica doctrina, de peccatorum magnitudine, & paruitate: quam cùm Cicero vel non aduertiſſet, vel non meminiſſet, auſus eſt literis mandare, Socratis fuiſſe ſententiam illam, quã ab inſanis Stoicis didicerat. Sed profectò veriſsimum illud eſt, quod his verſibus ſcribit Horatius:

Quis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant
Cùm ventũ ad verũ eſt, ſenſus, moreſq́; repugnãt,
Atq; ipſa vtilitas iuſti propè mater, & æqui.

In hac igitur veritate requirenda, quæ diſputationis huius tertia atq; vltima pars eſt, nullum alium mihi autorem, quàm ipſum Ciceronem libentius aſſumam, vt ipſe contra ſe ipſum teſtimonium dicat. In omni enim iniuſtitia permultum intereſt, inquit ipſe Cicero de Officijs primo, vtrum perturbatione aliqua animi, quæ plerunq; breuis eſt, & ad tempus: an conſultò, & cogitata fiat iniuria. Leuiora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata, & præparata inferuntur. Videtiſne, quanta vis ſit veritatis? vt ſeſe contra calliditatem hominum facillimè defendat? Quid ais Cicero? leuiora ſunt peccata, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata, & præparata inferuntur? Sic eſt. Ergo ex peccatis alia leuiora, alia grauiora: quomodo igitur paria ſunt? Repugnant enim hæc inter ſe omnino, vt paria peccata ſint, & alia

leuiora sint, alia grauiora. Vel igitur hoc in loco falsum defendis, Cicero: vel in officijs falsa doces. Sed ea, quæ à te traduntur in officijs, vera sunt: quoniam & cum Socrate, & cum ratione maximè conueniunt. Igitur hoc falsum est. Idem Cicero, eodem libro Panetium reprehendit, qui triplicem tantùm consilij capiendi deliberationem statuit: quarum prima est, cùm honestum'ne factu sit, an turpe dubitamus, id quod in deliberationem cadit: altera, cùm vtile'ne sit, an inutilè: tertia, cùm pugnare videtur cum honesto id quod videtur vtilè. Nec enim solùm, inquit, vtrum honestum, an turpè sit, deliberari solet: sed etiam duobus propositis honestis, vtrum honestius: Itemq; duobus propositis vtilibus, vtrum vtilius. Ita quam ille triplicem putauit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Hæc certè Ciceronis ipsius verba sunt, vt non dubitandum sit, quin longè aliter ipse senserit, quàm quod hoc in Paradoxo probare conatus est: atque hoc ioci tantùm gratia fecisse videri posset: nisi addidisset, hæc Paradoxa Socratica esse, atque verissima, quod vtrunque maximè falsum est. Sicut enim aliquid est honesto honestius, ita etiam turpius: vt si honestum sit amicum tueri, sed honestius patriam seruare: ita etiam turpe est amicum deserere, sed longè turpius patriam prodere. Rursus in postrema primi de officijs parte, Sapientiam illam,

illam, quam Græci Σοφίαν vocant, principem omniũ virtutum esse dicit: & id officium, quod à communitate ducitur, hoc est à iustitia, cæteris omnibus anteponendum ostendit. Ex quo facilè potest intelligi, iustitiam longè maiorem esse virtutem quàm reliquæ sint: atq; ita fiet, vt iniustitia, quemadmodum Socrati placere diximus, sit omnium peccatorum maxima, neque vllo modo cæteris vitijs æquiparanda. Quin etiam in ipsa iustitia, in qua continetur Deorum atq; hominum communitas, & societas ipsorum inter ipsos, sunt gradus officiorum, inquit Cicero, ex quibus quod cuique præstet intelligi possit: vt prima Dijs immortalibus, secũda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeãtur. Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, duobus propositis honestis, aliud alio honestius esse posse: atque eodem modo duobus propositis turpibus, aliud alio posse turpius esse. Quod idem est, ac si quis dicat, aliam virtutem alia maiorem esse: et peccatum aliud, alio maius.

Hæc cùm dixisset Antonius, illud addidit, Hæc sunt, quæ pro collecta mea vobis affero: quæ si fortasse vobis horridiuscula visa sunt, quàm expectabatis, ignoscite: non enim alios fructus Stoicorum dumeta, ad quæ me compulit Cicero, producunt. A' te verò Cardane, atq; ab Octauiano, & Constantino, longè politiora, atq; ornatiora expectamus. A' me verò,

inquit Cardanus, qui iampridem medicam artem exerceo, neque has humaniores literas amplius attingo, vel certè rarißimè. Sed tamen quid poßim experiar, quoniam inter nos omnia licet. Tunc Marcus: Tempus mihi videtur, inquit, vt etiam ventri satisfaciamus, qui iamdudum obstrepit, & indignari quodammodo videtur, quòd animum tantùm oblectemus, sui verò non meminerimus. Scitum est enim illud Catonis Censorij, qui cùm legem agrariam dissuasurus esset, orationem suam sic exorsus est, vt diceret, Arduum esse, ad ventrem verba facere qui auribus careat: & Seneca, Venter, inquit, præcepta non audit, poscit, appellat. Vt placet, inquit Cardanus: Verùm scitote, sumpto prandio non satis esse salubre statim disputare atque mentem agitare, nisi de rebus tantùm iocosis, & facilibus agatur. itaque totam hanc disputationem in pomeridianam horam, quousque sol ad occasum spectet, reijciamus: & interim vnà viuamus, non eo modo, quo Lucillius eo carmine præcipit,

Viuite Lurcones, comedones, viuite ventres.

Sed eo modo, quem Cato maior apud Ciceronem his verbis dilaudat: Bene enim maiores accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, Conuiuium nominarunt: melius quàm Græci, qui hoc idem tum Compotationem, tum Concœnationem

vocant.

vocant. His dictis exurreximus, vt ad paratum iamdudum prandium veniremus: sed inter eundum, Cuius, inquit Antonius, partes erunt hodie disputandi? scire enim aueo, quis mihi successor futurus sit. Quis alius, inquit Marcus, quàm hic Cardanus noster, cuius tanta facilitas est, vt nō dubitem, quin hanc dicendi prouinciam libentissimè suscepturus sit, cùm præsertim hoc vltro ipse pollicitus sit. Cras deinde duos hos mihi charissimos cōmilitones audiemus: manè Octauianum, vesperi verò Constantinum.

M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON LIBER QVARTVS.

*

PLACVERAT *omnibus Marci sententia, disputationisq; distributio, cùm lauti, atq; alacres vnà discubuimus, & varijs iocis, atque fabellis nosmet in eo conuiuio mirificè delectauimus: cùm tamē nihil à quoquam dictum fuerit, quod non ad eruditionem aliquo modo pertinere videretur. Itaque non ita multò pòst, quàm remotæ fuerunt epulæ, cœperunt adolescentes ex Antonij disputatione quædam repetere, quæ acutè*

conclusa videbantur, & ad cœlum ea tollere: nonnulla etiam quæ defendi à Cicerone facilè posse dicerent: nam Antonius ipse, & Cardanus, cùm horam ferè vnam à prãdio nobiscum fuissent, inter se nescio quid collocuti discesserant, vel ad cõmentandum, vel certè ad meridiandum. Marcus autem quasi ludibundus ponere quæstiones iussit adolescentes de verbis, & dicendi generibus, atq; locutionibus, quæ apud Ciceronem legerentur, & quæ non: seq; ad omnia paratum esse respondere ostendit. Certatim igitur & Franciscus, & Octauianus, & Constantinus alternis interrogabant. Ego autem incredibilem animo voluptatem capiebam, cùm Marcum meũ viderem promptissimè non tantùm ea reĳcere, quæ Ciceronis non essent: sed etiam memoriter loca plurima citare, in quibus aliter Cicero locutus fuisset: quæ verò Ciceronis erant, ita accipiebat, vt statim ostenderet, quot modis illis, & quibus in locis eleganter Cicero vteretur. Itaq; tres amplius horas in ea re iucundè transegimus, donec Antonius & Cardanus redierunt: Et paratus sum, inquit Cardanus, cùm me symbolam meam proferre volueritis: sed, vt verum fatear, hic tam immensus calor mihi molestus est: velim igitur, si fieri posset, vt in opacum aliquem locum, vbi spiraret aura, concederemus. Quam vellem, inquit Marcus, vt in Gyneceum ingredi possemus, in quo locus

quidam

quidam tam amœnus & iucundus est, vt ne antro quidem illi Nympharum cedat, quod multis carminibus ab Homero describitur. Sed vereor, ne secum mater eius loci claues in vrbem attulerit, et statim quandam ad sese vetulam vocari iussit, quæ clauium custodiam habere consueuerat: quæ cùm tremulo capite se Gynecei claues habere annuisset, læti omnes eam secuti sumus. Quò pòstquam peruenimus, Dij boni quẽ locum, quã cœnationem, quàm aspectu delectabilem, quàm amœnam, quàm leni aura vndiq; perflatam reperimus? erat enim opere quidem testudineo atq; fornicato constructa, sed ab omni parte ianuis atq; fenestris aperta, pauimento vermiculato, lacunari verò fulgentissimo, & varijs interlucente auro picturis distincto, parietes quadratis quibusdam partibus candidissimi, sed crebris atq; auratis columnis, variaq; pictura quasi striatis distinguebantur: quarum fastigia capitulis, atq; methopis ornata erant: verùm cũ ipsius lacunaris pictura, quadam quasi trabe perpetua atq; inaurata coniungebantur. Stylobatæ verò non ad pauimentum vsq; pertingebãt, sed erat quasi spira quædam variè picta, quæ ab inferiori parietum parte totam cœnationem cingebat, supra quam ad pictoris libramentum stylobatæ collocati fuerant. Fenestræ autem ita constructæ fuerant, vt alteram altera respiceret, vt ex omni parte perflari tota cœnatio facillimè

possét: ab ima verò fenestrarum parte marmorea sedilia consurgebant, in quibus coccinei atq; serici puluini erant appositi. extra cœnationem quaque versus humiles quædam atq; frondosæ arbores consitæ erant, quæ tamen ad cœnationis fastigium exurgerent, & omnem solis impetũ penitus arcerent. In medio mensa erat pulcherrimo tapete constrata, circa quam vndiq; visebantur coccineæ cathedræ, scabellaq; variè depicta, quibus in omnibus hæc erat inscriptio, quã Marcus apponi iusserat, PRVDENS MVLIER FAMILIAE CLAVVS. *Quid multa? nympharum omnino domũ diceres: nam in ea Marci mater lectißima fœmina Brigida, atq; eiusdem Marci soror doctißima, atque pudicißima Hippolyta, cum alijs honestißimis matronis plerumq; æstiuam auram captare cõsueuerant. Hunc igitur locum postquam Cardanus vidit, vehementer admiratus Vereor (inquit subridens) Marce, ne hic locus tam venustus, & ornatus, nos potius inuitet, vt aliquid de Amore, & de iucundißima mulierum consuetudine loquamur, quàm vt institutam disputationem perficiamus. Itaq; tua culpa sit Marce, si me tam acrem disputatorem, vt sperabas, hodie nõ audieris, quem enim ferum atq; trucem animum locus iste non emolliat? Verùm si libet, sedeamus, & (vt ait Poëta) quod nunc instat agamus. Hîc omnes consedimus, & ad Cardanum conuersi*

conuersi quæ dicturus esset expectabamus. Tum ille, Nunquam profectò fore putassem, adolescentes optimi, vt in Ciceronem coram vobis quodammodo mihi declamandum, atq; dicendum esset. Sed quoniam ita vsu venit, vt vobis aliter satisfacere nõ possem, omnẽ saltem diligentiam adhibebo, vt apertissimè intelligatis, & errasse grauissimè Ciceronem, & absurdissimè in hoc quarto Paradoxo disputasse. nam postquam à vobis (vt scitis) à prandio discessi, petiui ab Antonio, haberet'ne secum Ciceronis illud volumen, in quo Paradoxa reperiuntur: qui cùm è Marci bibliotheca se illud manè prompsisse diceret, accepi, & totum illud caput quartum, de quo mihi disputandum esse intelligebam, perlegi. Sed prò Dij immortales, quàm mihi inepta visa est eius disputatio, quàm absurda, quàm à veritate aliena: vt ne verbum quidem in ea mihi esse visum sit, quod ad propositam quæstionem facere videatur. Cùm enim se proposuisset ostendere velle, Stultos omnes insanire: quod nequaquam Socratis, vt ipse falsò asserit, sed Stoicorum potius decretum est: expectabam sanè auidius argumenta aliqua, quæ refellerem, & falsa esse ostenderem: quippe qui præclarè intelligerem, ipsam propositionem esse falsam. Sed prò Deûm hominumq; fidem, quantopere me fefellit expectatio mea? nam ne vnum quidem verbum in toto capite reperi, quod cum ipsa inscriptione

conueniret: quod non tantùm mihi, sed omnibus mirum videri debet. Itaq; prius ipsius Ciceronis verba (quid enim dicam argumenta, cùm in toto capite nullum sit?) excutere, atq; refellere decreui. Deinde, propositum hoc neq; Socraticum esse, neq; verum, ostendam. Nam, audite obsecro diligenter quo modo procedat Cicero, primò conclusionem hanc proponit, Omnes stultos insanire: quæ nulla penitus ab eo ratione probatur. Deinde Clodium insanum esse ostēdit, vt omnino nobis illudere velle videatur. Itaq; vrgendus est à me diligenter. Quid ais Cicero? Omnes stulti sunt insani. Audio: sed qua de causa? Quia Clodius est insanus. O' mirabilem argumentationem. Ergo quia Clodius est insanus, ideo sequitur, vt omnes stulti sint insani? Quis te hoc genus argumentationum edocuit? est'ne hic modus disputandi, quo Socrates vti solebat? Audi quid valeat ista tua argumentatio. Si dixero ego, Philosophi omnes summum bonum in voluptate ponunt: & aliquis inficietur, petatq; à me vt hoc probem, atq; ego ita respondeam: Epicurus summum bonum in voluptate statuit, ergo omnes Philosophi idem sentiunt. An non putabit ille se à me derideri? qui quod in vno Philosopho, aut in aliquibus est, id omnibus attribuam? Quid ergo? non'ne vides Cicero, tuum hoc argumentum nihil ab eo differre? & nihil te pudet isto modo disputare? Quid, quod nihil in toto capite præter

hoc

hoc primum dicis, quod vllo modo poßit, vel benè vel malè cum propoſita quæſtione conuenire? nam poſtea diſputas, Romam non fuiſſe ciuitatem, quo tempore tu expulſus es: ſed tunc demum fuiſſe ciuitatem, quando te reuocauit: perinde quaſi tu ciuitatem tecum abſtuleris, atq; eandem tecum retuleris. ſed cur non erat ciuitas Roma Cicero quo tempore tu pulſus in exilium fuiſti? an quia te talem diſputatorem amiſerat, qui quoniam Clodius inſanus erat, probare contenderes, omnes qui perfectam ſapientiam adepti non ſunt, quia ſtulti adhuc ſunt, inſanire? magna verò iactura propter quam Roma ciuitatis nomen amitteret. Sed libet aliquas huius capitis clauſulas ſigillatim examinare, vt apertè intelligatis, id eſſe verum, quod initio dixi, ne vllum quidem eſſe verbum quod ad propoſitum attineat. Ego verò, inquit, te non ſtultum, vt ſæpe, non improbum, vt ſemper: ſed dementem, & inſanum rationibus addicam neceſſarijs. Dic mihi Cicero, quæ cauſa fuit immutatæ tuæ voluntatis? cur quem ſæpe ſtultum, ſemper improbum appellaſti, nunc inſanum potius appellare vis? aliquid omnino ſubeſſe oportet, quod te iſta proferre compellat. Quæ tandem ſunt iſtæ rationes neceſſariæ, quibus inſanus ille tuus inimicus dici debeat? equidem neq; cauſam vllam, neq; rationem, à te proferri video, cur ei nomen immutari oporteat: Tuo igitur arbitrio, ſine ratione, nomina fingis?

hoc

hoc ſanè modo poſſes eum Regem, poſſes Tyrannum, poſſes Deum appellare, cùm nullam nominis eius probationem afferas. Sed mauis inſanum appellare: cur obſecro te? Quia omnes ſtulti inſaniunt. Proba igitur hoc mihi, non enim ita facilè credo, niſi rationes aliquas prius audiuero. Verùm nulla eſt ratio, nullum argumentum: ſed tanquam oraculum è tripode profertur, Omnes ſtultos inſanire, quod ideo nobis credẽdum eſt, non quia probètur à Cicerone, ſed quia ipſe dixit. Ego verò nequaquam ita credulus ſum: perſcrutari volo cætera vt tandem videam ſiquam huius concluſionis probationem ex Ciceronis verbis elicere poßim. Sapientis, inquit, animus magnitudine conſilij, tolerantia rerum humanarum, cõtemptione fortunæ, virtutibus deniq; omnibus vt mœnibus ſeptus, vincetur & expugnabitur, qui ne ciuitate quidem pelli poteſt? Intelligo: rectè declamas Cicero, rectè ſapientem laudas, ſcio te bonum eſſe Rhetorem, ſed nunc non erat his opus: non enim id hoc tempore agimus, quàm belle tu declamare ſcias, aut quàm fortis ſit, aut quibus laudibus dignus vir ſapiens: non hoc loco quærimus, vtrum vinci atq; expugnari poßit ſapiẽs, nec'ne: non eſt quæſtio, vtrum ſapiens è ciuitate pelli poßit: ſeruentur hæ quæſtiones in aliud tempus, quoniam nihil ad propoſitum faciunt: nunc, obſecro te, proba quod propoſuiſti: niſi fortè hoc argumento probaſſe te putes, Sapiens

quia virtutibus omnibus, vt mœnibus ſeptus eſt, neq; vinci, neque expugnari poteſt, neque etiam è ciuitate pelli: ergo omnes ſtulti inſaniunt. Hóccine tibi videtur eſſe conſectarium? non hercle magis, quàm ſiquis ita argumentetur, Animantes omnes quia mouentur, & cùm libet locum mutant, radices non habent, ergo omnes arbores ficus ferunt. Quid enim ſimile habet ſapiens cum inſano? Tuum iſtud argumentum fortaſſe probaret aliquid, ſi te propoſuiſſes oſtēdere velle ſtultos omnes vinci, atq; expugnari, & è ciuitate pelli poſſe. ſic enim à contrario procederet argumentatio: Sapiens neque vinci, neq; expugnari, neque è ciuitate pelli poteſt: ergo quicunq; vincuntur, & expugnantur, & è ciuitate pelluntur, ſtulti ſunt. hoc certè conſequens eſſet ſi prius illud effatum verum ſit, vtrum autem vinci poſsit, aut è ciuitate pelli vir Sapiens, videris ipſe Cicero, qui te ſapientem profiteris, & tamen victus, atq; expugnatus, et è ciuitate pulſus es. Equidem hanc quæſtionem nihil ad inſtitutam diſputationem facere video. Quid enim prodeſt ſcire, vtrum ſapiens vinci poſsit, ad hoc vt intelligas, omnes ſtultos inſanire? Fateor me nō eſſe tam acutum, vt argumentorum id genus vim penetrare poſsim: & qui totam Ariſtotelis logicam, & legendo, & interpretando, & etiam publicè docendo ſæpius contriui, & quaſi per diſſectionem quādam ſingulas eius partes apertas vidi,

vidi, nunquam tamen tale genus argumentationis obseruaui: neq; etiam apud Platonem vidi quenquam, qui hoc modo disputaret. Prò bone Iupiter, quid hoc argumenti est, Sapiens vinci non potest, ergo omnes stulti insaniunt? Sed reliqua rideamus. Quæ est enim, inquit, ciuitas? omnis'ne conuentus ferorum, atq; immanium, omnis'ne etiam fugitiuorum, ac latronum congregata vnum in locum multitudo? Certè negabis. Negabo: quid deinde? quis à te petit vt ciuitatem hoc loco definias? Non hoc à te quærimus Cicero, vt explanes nobis, quæ sit ea, quæ verè ciuitas appelletur: sed expectamus vt id probes, quod proposuisti, Stultos omnes insanire. Quid enim mihi prodest scire, vtrum fugitiuorum ac latronum congregata vnum in locum multitudo sit ciuitas nec'ne, ad hoc vt sciam, an stulti insaniant? Habeas per me sanè hæc omnia quæ disputari, & refelli possunt, viceris in hoc Cicero, quoniam nihil ad rem propositam facit, non sit ea ciuitas in qua leges nihil valent, in qua iudicia iaceant, in qua mos patrius occiderit, in qua ferro pulsis magistratibus, Senatus nomen non sit. Non sit (inquam) ea ciuitas, sit potius prædonum concursus, & latrocinium: quid hæc tibi, quæso, prodesse possunt ad tuæ cõclusionis approbationem? Non enim video, quamuis concursus prædonum non sit ciuitas, cur omnes stultos insanire existimem. Sis ergo copiosus in verbis, valeas plurimũ

in ling

in linguæ volubilitate, fundas tota nugarum plaustra, modò intelligas, te nihil tot ambagibus concludere. At pulsus, inquit, ego ciuitate non sum, quæ tum nulla erat. Quid (malum) hoc ad me? quid est cur ego quærere debeam vtrum ciuitate pulsus sis, nec'ne? de hoc ipse videris, qui cùm in eam calamitatem incidisses, tam abiecto et fracto animo fuisti, vt omnes tuam sapientiam desyderarēt. Non igitur ego quæro, vtrum Roma, quo tempore tu pulsus es, ciuitas fuerit, nec'ne: quoniam hoc nihil ad versum, vt aiunt: sed quæro, vtrum omnes stulti insaniant, quemadmodum proposuisti. Accersitus sum, inquit, in ciuitatem, cùm esset in Repub. cōsul, qui tum nullus fuerat, cùm esset Senatus qui tum occiderat. Rursus ad ineptias redis. Mitte tandem de te loqui, & de re ipsa loquere. Quid enim hoc ad me, vtrum in ciuitatem accersitus sis, an non? noli ista tua tantopere iactare: scimus quo te modo gesseris: recordare quid probandum susceperis, et illud tandem nobis explica. Sed verba fiunt mortuo, nihil audit Cicero, nihil intelligit. Sed pergit ineptire, & seipsum laudare, atq; extollere: nam se cum inimico suo Clodio comparat, & sapientem se esse probare contendit, illum verò dementem. Quæ omnia, quantum à proposita quæstione sint aliena, neminem vestrum esse opinor, quin intelligat. Quid enim prodest ad sciendum an omnes stulti insaniant, quòd Cicero

iactam

iactam et immissam à Clodio nefariam esse iniuriam semper duxerit, peruenisse tamen ad se nunquam putarit? aut quòd cum Clodius Ciceronis parietes disturbabat, aut cùm tectis sceleratas faces inferebat, suorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitraretur? quis tam rerum ignarus est, vt hæc non videat ab hac disputatione longè esse aliena? Quid illud quod addit, Nihil neq; meum est, neq; cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Quid tandem hæc tam pulchra, tamq; vera sententia potest ad hoc, vt omnes stulti insaniant? Quid quòd probare contendit, à Clodio se nequaquam iniuriam accepisse: quoniam nō sibi Clodius diuinam animi sui constantiam, nō curas, non consilia, non mentem eripuerit? quo tandem hæc modo cum quæstione proposita conuenire possunt? Profectò aut ego nullam differendi rationem intelligo, in qua tot labores & vigilias consumpsi: aut hoc in toto capite Cicero ipse egregiè insanit, dum omnes stultos insanire per hæc quæ commemorat, probare se opinatur. Sed nimium amor ille sui, qui non sine causa cæcus esse dicitur, eum decepit. Quàm enim sibi placet, quātum gloriatur, quibus verbis suam sapientiam amplificat hoc in loco: vt mihi quidem videatur quadam rerum suarum dulcedine atque iocunditate captus, non satis aduertisse, quid, aut quo modo diceret. Nam siquis rectè consyderet, nihil aliud in toto hoc Paradoxo reperiet

riet à Cicerone concludi, quàm, Ego sapiens, Clodius insanus: Ego ciuis, Clodius exul. Quare siquis esset paulò proteruior, qui Ciceroni vellet illudere, rectissimè posset huius capitis inscriptionem immutare, vt quæ nunc ita apponitur: Omnes stultos insanire. Ita ab eo conuersa, atque mutata poneretur: Ciceronem esse sapientem & ciuem, Clodium insanum & exulem. Nam hæc omnino verior esset inscriptio, quoniam nihil aliud probare conatur: quamuis etiam hoc imperitè faciat. Quid enim aliud hæc verba volunt, Ergo ego semper ciuis eram, & tum maximè, cùm meam salutem Senatus exteris nationibus, vt ciuis optimi, commendabat: tu ne nunc quidem es ciuis, nisi fortè idem & ciuis, & hostis esse potest. Deinde ita progreditur ad finem vsq;, vt nihil aliud omnino dicat, quàm Clodium, & omnes impios, & sceleratos, non ciues, sed exules esse. Quid autem opus est vt eius verba recenseam, in quibus tantùm Clodij scelerata commemorat, & suum illud exilium, non exilium fuisse dicit? quamuis enim pluribus & grauibus verbis in Clodium inuehatur, tamen illud affirmo, ne vnum quidẽ ex tot verbis esse, quod ad primam quæstionem attineat. Quin etiam illud maximè ridiculũ mihi videtur, quòd cũ proposuisset, Omnes stultos insanire, tandem concludit, Clodium non esse ciuem, sed exulem: quo quid ineptius dici, aut excogitari potest?

l longè

longè enim hoc turpius est, quàm id quod reprehendit Horatius:

– Anphora cœpit
Institui, currente rota cur vrceus exit?

Inuitus quidem feci, vt ita Ciceronem deriderem. Sed quid facerem, cùm tam absurdè disputare videatur?

Nunc, quoniam satis ostendimus, nequaquam à Cicerone probatum esse, quod ab eo propositum fuerat, nempe Stultos omnes insanire, videamus, an contrà probare nos poßimus, conclusionem hanc à Socratis sententia penitus abhorrere, & omnino falsam esse. Qua igitur potißimum ratione confirmare poterimus, Socratem in ea sententia minimè fuisse, vt existimaret, Stultos omnes insanire? an non si ipsum apertè clamantem, & clarißima voce testantẽ, nequaquam eos qui stulti sunt, etiam omnes esse insanos, inducamus? Hîc nulla circuitione verborum opus est, nullis argumentis, nulla inductione. Socratem ipsum apertè Ciceroni contradicentem, atq; illi mendacij notam impingentem audite: nam in eo Dialogo, qui secundus Alcibiades, vel de supplicatione, seu de voto inscribitur, cùm dixisset Socrates quosdam esse homines, qui à Deis immortalibus maxima sibi mala deprecentur: respondet Alcibiades, eum omnino insanire, qui sibi mala precetur. Tunc Socrates quasi dedita opera, vt eos refelleret, qui Stultos omnes insanire dicunt (quod

omnino Cicero non aduertit) ita progreditur: Dabitis enim profectò hanc mihi veniam, vt integram Platonis paginam vobis recitem, quò res hæc manifestior euadat: ait igitur Socrates: Insanire non'ne cõtrarium est ei, quod est prudentem esse? ALCIBIADES, *Omnino.* SOC. *An non ex hominibus alij prudentes esse, alij Stulti videntur?* ALC. *Ita sanè est.* SOC. *Age ergo videamus, qui nã isti sint. Esse enim quosdam Stultos, quosdam prudentes, alios insanos, inter nos cõuenit?* ALC. *Conuenit.* SOC. *Præterea non'ne bene valentes aliqui sunt?* ALC. *Sunt sanè.* SOC. *Igitur etiam ægrotantes aliqui?* ALC. *Haud dubium id quidem.* SOC. *Non ergo ijdem sunt.* ALC. *Minimè verò.* SOC. *Sunt'ne alij quidam, qui neutrum istorum in se habeant?* ALC. *Nequaquam.* SOC. *Necesse est enim hominem vel ægrum esse, vel non ægrum?* ALC. *Mihi quidẽ ita videtur.* SOC. *Quid autem de Prudentia, atq; Stultitia, num eadem sentis?* ALC. *Quo modo hoc ais?* SOC. *Num videtur tibi necesse esse, hominem aut prudentem, aut stultum esse? an aliquid est horum medium, quod hominem neq; prudentem esse, neq; stultum efficiat?* ALC. *Nõ sanè esse arbitror.* SOC. *Meministi'ne igitur te confessum fuisse, prudentiæ insaniam esse contrariam?* ALC. *Memini.* SOC. *Et præterea nullum esse tertium in medio, quod neq; prudentem esse hominẽ, neq; stultum*

 effic

efficiat? A L C. *Confessus sum.* S O C. *Sed qua ratione fieri potest, vt vni rei duo contraria sint?* A L C. *Non fieri potest.* S O C. *Stultitia igitur, atq; insania idem esse videntur?* A L C. *Ita videtur.* S O C. *Quicunq; igitur ô Alcibiade dixerint, omnes stultos insanire, ij rectè dicent?* A L C. *Ita est.* S O C. *Itaq; si quidam ex æqualibus tuis stulti sunt, vt profectò multi sunt, aut ex maioribus natu, nam per Deum immortalem an non existimas ex eis, qui in ciuitate sunt, per quam paucos esse prudentes, stultos autem plurimos? Omnes igitur tales insanos appellas?* A L C. *Omnino.* S O C. *An censes nos inter tot insanos in Repub. securos et lætos diutius versari posse? quin percutiamur, & eijciamur, & ea omnia patiamur, quæ ab insanis hominibus fieri consueuere? Sed vide vir beate, ne res aliter se habeat.* A L C. *Quomodo sese hæc habent, ò Socrates? non enim ita esse videtur, quemadmodum ego existimaram.* S O C. *Neq; sanè mihi videtur ita esse, sed hoc fortasse modo consyderandum.* A L C. *Quomodo?* S O C. *Ego tibi dicam. An non aliquos ægrotos esse existimamus?* A L C. *Sine dubio.* S O C. *Nunquid igitur tibi necesse esse videtur, vt quicunq; ægrotus est, ille podagra, aut febri, aut lippitudine laboret? an potius videtur tibi, etiam si nihil horum patiatur, alia tamē posse ægritudine laborare? sunt enim aliæ multæ ægritudines, non autem hæ solæ.* A L C. *Ita*

mihi

mihi esse videtur. SOC. *Videtur'ne igitur tibi lippitudo omnis, esse ægritudo?* ALC. *Certè.* SOC. *Nunquid etiam omnis ægritudo lippitudo?* ALC. *Non sanè mihi: verùm incertus sum quid dicam.* SOC. *At si mihi mentem adhibueris, & ambo simul cogitauerimus, fortasse inueniemus.* ALC. *Attendo Socrates pro viribus meis.* SOC. *Constat igitur inter nos omnem lippitudinem esse ægritudinem, sed nõ contrà: non enim omnis ægritudo est lippitudo.* ALC. *Constat.* SOC. *Et rectè mihi sanè hoc dictum videtur: etenim febricitantes omnes ægrotant, non tamen quicunq; ægrotant etiam febricitant, vel podagra, aut lippitudine laborant: sed quicquid est eiusmodi communiter quidem ægritudo, vel morbus dicitur. Differre autem Medici dicunt eorum curationem: non enim omnes aut similes sunt, aut similiter pertractantur: sed secundum propriam vim singuli, cùm tamen omnes morbi dicantur: quemadmodum aliquos opifices esse dicimus. An non ita est?* ALC. *Verũ.* SOC. *& cerdones, & fabros, & sculptores, & quàm plurimos alios, quos referre singulos nihil opus est, qui partes opificij sui discretas habent: atq; omnes quidem opifices sunt, non tamen fabri omnes, neq; cerdones, neq; sculptores, sed cuncti generatim opifices.* ALC. *Ita est.* SOC. *Eadem quoq; ratione stultitiam inter se distributam habent, & qui maiorem eius partem*

consecuti sunt, eos insanos vocamus: qui verò aliquantò minorem, fatui, atq; stolidi dicuntur: sed qui honestioribus eos nominibus appellare volunt, partim quidem magnanimos appellant, partim minimè morosos, alij verò simplices vocant, & imperitos, ac ignorantes, & stupidos. Quòd si quærere volueris alia etiam plurima nomina reperies, quæ tamen omnia vno stultitiæ nomine comprehenduntur. Hæc sunt quæ Socrates eo quem citauimus loco de stultitia disputat. Ex quibus intelligi facillimè potest, ita statuisse Socratem, vt Stultitia genus quoddam sit, quod multas sub se species cõtineat, sicuti ægritudo, atq; opificium: Insania verò stultitiæ quædam species sit, quod omnino verissimum est: nam insanos eos tantùm appellamus, qui omni ratione postrata, cum impetu quodam cæco atq; temerario omnia faciunt: & etiam qui furiosi sunt, insani dicuntur, vt in Academicis his verbis ostendit Cicero: Quod idem contingit insanis, vt & insipiẽtes furere sentiant, & dicant aliquid quod non sit, id videri sibi. Ita imperiti, & fatui, & stupidi, & imprudentes, & meticulosi, & loquaces, & pleriq; alij, stulti dicuntur, cùm tamen insani dici non soleant. Sunt enim plurimæ stultitiæ species ab insania distinctæ. Ipsa verò insania dupliciter in Phædro à Socrate distribuitur: quarum alteram ait esse, quæ ab humanis perturbationibus originem trahit: alteram

verò,

verò, quæ à Deis ipsis immittitur, qua Poëtas & Sibyllas, & Vates afflari putat. hanc in Apologia Enthusiasmum appellat: nostri verò hanc modò furorem diuinum, modò insaniam vocant: vnde Poëtas insanos appellare consueuimus, & Sibyllam insanam, vt Aeneidos tertio Vergilius,

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit.

Sed huius insaniæ causam atq; originem Aristoteles in problematibus non Deo tribuit, sed naturæ melancholicæ: probat enim omnes ingeniosos melancholicos esse. Quin etiam addit, vt primo de Diuinatione scribit Cicero, eos qui valetudinis vitio furunt, & melancholici sunt, habere aliquid in animis præsagiens, atq; diuinum, & quia non nisi per insaniam hanc futura prædici censent, factum est, vt apud Latinos interdum vaticinari sit idem quod insanire. Quod pro Sestio Cicero docet his verbis: Qui hæc dicerent vaticinari, atq; insanire dicebat. Et in Epistolis: Sed ego fortasse vaticinor, & vtor ætatis vitio. Sed hæc insania diuina, de qua & in Phædro, & in Menonis extrema parte, & in alijs locis, multa Plato disputat, ab omni stultitia remoueri debet. Illa verò quæ ab humanis perturbationibus nascitur, quemadmodum Socrati placere ostendimus, stultitiæ pars quædam est: vt omnino cum Stoicis grauissimè Cicero aberrarit,

qui omnes ſtultos inſanire dicat. Idem eſt enim, ac ſi diceret, Omnis pars eadem cum toto eſt: &, Omnis ſpecies eadem quod genus. Quod quàm falſum, et abſurdum ſit, quis tam imperitus eſt, vt non intelligat? Quis enim manum toti corpori æqualem eſſe existimet? aut hominem idem eſſe quod animal? Nihil enim omnino intereſt, vtrum quis dicat, Omnis ſtultus eſt inſanus: an dicat, Omne animal eſt homo. Sicut enim animal genus eſt hominis, ita ſtultitia genus eſt inſaniæ. Poſſem hoc loco ex Medicis noſtris multa recenſere, quibus oſtenderem, quot ſtultitiæ ſpecies reperiantur, & quibus ex cauſis oriantur, & quomodo ab alijs ſtultitiæ formis inſania diſtinguatur: quod tertio libro de morbis Galenus eleganter & copiosè facit: niſi vererer, ne me putaretis ab arte mea diſcedere non poſſe. Sed certè etiam eiuſmodi commemorationem ſuperuacaneam eſſe video: quoniam mihi ſatis probatum eſſe videtur, nequaquam eam Ciceronis cõcluſionem eſſe veram, quòd omnes ſtulti inſaniant. Nam ſi vera ſit, etiam omnis ſtultitia eſt inſania. Sed hoc omnino falſum eſt: ergo illa vera eſſe non poteſt. Vnde igitur tantus error Ciceronis orignem habuit? Ab eo ſcilicet, quod in præcedenti Paradoxo diſputarat. Cùm enim ſe probaſſe crederet, peccata omnia paria eſſe, cœpit ita colligere, Profectò rectè ſentiunt Stoici: Omnes enim qui peccant, quatenus peccant,

ſtulti

ſtulti ſunt. Sed omnia peccata paria ſunt: ergo etiam, vt omnes ſtulti pares ſint, neceſſe eſt. Idem ergo ſtulti ſunt & inſani. Sed cùm iam illud ab Antonio noſtro copiosè refutatum ſit, & probatum, nullo modo fieri poſſe, vt peccata ſint paria: certè ſequitur, vt neq; ſtulti omnes ſint inſani. Quàm enim imperitè hoc Stoici faciant attendite. Volunt enim ſapientem ſolum eſſe ſanũ, eo quòd nulla penitus animi perturbatione quatiatur. Eum verò, qui non ſit ſapiens, eſſe ſtultum & inſanum, quia perturbetur animo, neq; rationem ſequatur. Talem autem ſapientem, qui nullam omnino perturbationem ſentiat, aut neminem eſſe, aut certè quàm pauciſſimos inueniri: ita concludebant, Omnes ferè homines ſtultos dementes, atq; inſanos eſſe. Nos verò, qui Stoici non ſumus, & Socratem potius, atq; ipſam veritatem ſequimur, quamuis aliquis nondum perfectam ſapientiam ſit adeptus, non tamẽ eum ſtultum, nedum inſanum appellamus. Multi enim ſunt inſipientes, qui non tamen omnino ſtulti dici poſſunt: vt ingenioſus puer, & virtutis cupidus, certè non ſapiens dici poteſt, neq; tamen ideo ſtultus erit: quantò igitur magis ab inſania diſtabit? quæ (vt Socrates ait) maxima ſtultitiæ pars eſt. Siquis autem in aliquos errores prolabitur, ſtultus ex ea parte ſanè dicatur, quatenus peccat: non tamen ſtatim inſanus erit. At verò ſi maxima flagitia vel in Deos, vel in patriam, vel in

parentes perpetrarit, tunc insanus rectè poterit appellari: quoniam hoc verbum insaniæ magnitudinem quandam, atq; immensitatem stultitiæ declarat. Ex quo factum est, vt maiores nostri sæpenumero verbũ hoc insanum, pro magno vsurparint: vt Cicero pro Milone, Substructionum insanis molibus oppresserat. Et alibi: Propter insanas illas substructiones, hominũ mille facilè latere posset. Quòd autem insania maiorem quandam vim habeat, & maiorem mentis alienationem significet, quàm Sultitia generaliter sumpta, declarat his verbis in Eunucho Terentius: Scitum hercle hominẽ, hic homines prorsus ex stultis insanos facit. Vnde miror, quid in mentem Ciceroni venerit, vt imitandorum Stoicorum studio, cùm rem aliter esse intelligeret, tamen etiam in Tusculanis contra veritatem, & quidem longè acrius, quàm hoc loco, disputarit. Ibi enim non vlla sanè firmissima ratione, sed verborum tantùm captionibus ostẽdere conatur, omnem animi commotionem esse insaniam: quam & maiorum suorum, & Socratis sententiam fuisse falsò asserit. Quia nomen (inquit) insaniæ significat mentis ægrotationem, & morbum, idest insanitatem, & ægritudinem animi quam appellant insaniam. Omnes autem perturbationes animi morbos Philosophi appellant, negantq; stultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt: & omnium

insipien

insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam, constantiaq; censebant, his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quòd in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse nò potest. His, atq; huiusmodi nonnullis alijs rationibus, probare se putat Cicero in Tusculanis, nullam esse animi commotionem, quæ non insania dicatur: vt si fortè Plato, aut Xenocrates, aut aliquis alius sapiens, ob illatam sibi iniuriam ingentem paulum ad iram se commouerit, statim ex Ciceronis sententia insanus sit futurus. Sed quid ait ad huius suæ sententiæ probationem Cicero? Totum, inquit, id quod quærimus quid et quale sit, verbi vis ipsa declarat: eos enim Sanos intelligi necesse est, quorũ mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit: qui contrà affecti sunt, hos Insanos appellari necesse est. Ita'ne Cicero res ad verba deflectere contendis? sapientium autem rationes & autoritates negligis? Quæ res est, quæ peruerti non poßit, si verborum vim, non autem rerum ipsarum naturam spectare voluerimus? Sed sequamur sanè, si ita placet, ipsa verba, quamuis hoc iniquißimum sit, vt ipse pro Cecinna copiosißimè, atq; elegantißimè disputasti: videamus quam vim habeat istud tuum argumetũ, Cuius mẽs nullo motu perturbatur, ille sanus est: ergo cuius mens aliquo motu perturbatur, insanus est.

Hoc

Hoc quidẽ consectarium esse videretur, si tantùm ille sanus esset, cuius mens nullo motu perturbaretur. Sed cùm hoc longè & à sermonis consuetudine, & à veritate abesse videatur, (quoniã si ita sit, nullus omnino mortalium inuenietur, quin insanus sit) non est illa conclusio concedenda. Quis est enim ex omnibus, cuius mens non aliquo motu moueatur? Erat iracundus frater tuus (vt accepimus) Q. Cicero: num igitur etiã insanus, quoniam iracundia est animi cõmotio? Omnino tibi Cicero hoc fateri necesse est, qui omnem animi commotionẽ insaniam esse putas. Cur igitur nusquam eum insanum vocas? cùm interim Clodij, Catilinæ, cæterorumq; consceleratorum vbiq; insaniam consecteris? Quòd siquis alicuius vel propinqui, vel amici, vel fratris, vel filij morte doleat, erit'ne insanus, quoniam dolor est animi commotio? Quis hoc ferat, si insanum (exempli gratia) Catonem dixeris, quod optimi, & clarißimi viri filij sui morte tristitiam aliquam senserit? An non vides, te non tantùm contra omnium sententiam, sed etiam contra naturam ipsam pugnare? omnibus enim animantibus (vt primo Politicorum præclare docet Aristoteles) natura iucunditatis, atq; tristitiæ vim ingenerauit: neq; alia de causa vocem eis natura dedit, nisi vt per eam animæ suæ motus indicent. Quamobrem si omnis animi commotio insania est, peßimè de nobis Deus, ac natura ipsa merita est,

quæ

quæ nos omnes insanos procreauit: nam omnino voluptas & tristitia, naturales animi motus sunt. Quod etiã in Philebo Socrates multis verbis disputat. Itaq; sublato eo fundamento tuo, quod nullo modo verum esse poßit, omnem animi commotionem insaniam esse: vides, reliquas etiam omnes rationes tuas, Cicero, corruisse. Quid ergo, inquies: sanus'ne est animus, cùm dolet, cùm metuit, cùm cupit, cùm gaudet? omnino si sanitatem mentis in eo constituis, cùm nullo penitus motu ab illa sua tranquillitate mouetur animus, non poterit in aliquo dolore, aut metu sanus esse: sed cùm in homine mortali nulla vnquam huiusmodi sanitas reperiatur, quippe cùm hominibus ab ipsa natura, Socrate, Platone, Aristotele testibus, hæ commotiones animi sint ingeneratæ, stultum est, aut insanum potius, homines insanos ideo iudicare, quoniam Gigantum more cum Deo non præliantur, hoc est naturæ non repugnant; aut quoniam id non habeant, quod habere nullo modo possunt. Sanus igitur ille est, non qui penitus omni animi perturbatione vacat, quoniam hoc fieri non potest: sed qui ita motionibus animi moderatur, vt obedire consilio, rationiq; poßint. Quòd siquando aut ægritudine, aut alia aliqua perturbatione tãquam tempestate quatiatur, & necesse sit animo commoueri, non statim insanus efficitur: nisi fortè prostrata ratione, atq; consilio, se totũ appetitui tradiderit, neq;

amplius

amplius quicquam de honestate cogitet: tunc enim rectè poterit insanus appellari. Ac mihi quidem videtur, Cicero, cùm mentis sanitatem in eo constituit, si nullo penitus motu perturbetur, idem efficere, ac siquis diceret, corporis firmitatem, & valetudinem in eo sitam esse, si nihil omnino corpus patiatur. Quis igitur meritò non rideat, siquis probare se putaret, omnes homines ægrotos esse, atque infirmos corpore, quoniam omnes aliquid in corpore patiuntur, vt famem, sitim, frigus, calorem? Possem enim hoc modo argumentari quemadmodum Cicero: Cuius corpus nihil omnino patitur, ille sanus est: ergo quicunq; aliquid patitur, est ægrotus, & infirmus. Sed Hercules famem patitur. Vides'ne, vt tibi necesse sit confiteri, Herculem infirmo, atq; ægroto esse corpore? Eodem modo, siquis in lapidem impegerit, siquis digitum leuiter percusserit, sicui colaphus impactus fuerit: hi omnes, quoniam aliquid corpore patiuntur, hac ratione necessariò dicentur ægroti. Miseros homines, et calamitosos, qui Ciceronis sententia sunt omnes insani, infirmi, atq; ægroti. Sed vide Cicero, ne tu potius decipiaris, plurimi autẽ homines & sani mente sint, & firmo corpore. Non enim statim ægrotum corpus dicimus, si digitus, aut articulus aliquis indoluerit: sed tunc demum ægrotum dicimus, cùm perturbatis humoribus, non amplius se cõmodè sustinere potest, neq; sua obire munia. Eodem

modo,

modo, animus non statim insanus dicitur, cùm leui aliqua commotione perturbatur, sed cùm oppressa penitus ratione, atq; ordine, sine vllo discrimine in omne scelus prolabitur, verè tunc insanus appellari potest.

Itaq; (vt ad primam conclusionem redeam) minimè verum esse potest Stoicorum id decretum, quod hoc loco probare voluit Cicero. Licet enim concedamus, omnem stultitiam animi morbum esse: nō tamen ideo sequi dicimus, vt omnis stultitia sit insania. Multæ sunt enim stultitiæ species, quæ potius ignorantiæ, quàm insaniæ dicuntur. Sed ne meum hoc figmentum putetis, audite quid in Timæo de hac re Plato sentiat. Morbum quidem (inquit) animi stultitiam esse concedendum est, sed eius duo sunt genera, Insania & Ignorantia. Quibus ex verbis quis non intelligit, non omnem stultitiam insaniam esse? Nam imperitus quidem homo stultus est, non tamen insanus. Eum qui facilè credit, qui facilè decipitur, qui imprudenter res suas administrat, stultum quidem dicimus: insanum verò non dicimus. Qui verò propter immensam aliquam cupiditatem, vel dolorem, vel aliam animi perturbationem, quasi furibundus fertur, & impetu quodam scelus anhelando quiescere non potest: tunc ille iure optimo non tantùm stultus, sed etiam insanus appellatur. Verùm iam tempus est vt vela cōtraham. Non enim cuiquam vestrum dubium esse existimo,

quin

quin à me rectè Cicero reprehensus sit: vel siquid est, quod Maioragius contrà velit dicere, quoniam sæpius iam Ciceroni patrocinatus est, audiamus. An credis (inquam ego) Cardane, me insanum esse: qui cùm omnes vos in vnum Ciceronem Coniurasse videam, tot eruditis viris, & tam acribus in disputando me solùm opponere velim? Cedam hoc tempore, quoniam ita necesse est: nam tempori cedere semper sapientis est habitum. Sed mihi credite, non diutius istam (quod pace omnium dixerim) proteruitatem vestram inultam feretis. Tunc ridens Constantinus, Commotus est, inquit, Maioragius: & certè, si vera est Ciceronis sententia, insanus est: nam omnis animi commotio Ciceroni insania est. Itaque vel ei contra Ciceronem suum sentiendum est, vel si ei credit, insanum se esse fateatur oportet. Fatear (inquam ego) libenter, quoniam insaniæ meæ socios vos omnes habebo: nullus est enim, qui non aliqua in re insaniat. Postquam igitur hæc inter nos acta fuissent, in hortis proximis ad primam noctis horam inambulantes, et multis alijs collocutionibus animum nostrum oblectauimus. Sed antequam cubitum discederemus, data est Octauiano prouincia, vt postridie manè Paradoxum quintum euertere pro viribus aggrederetur.

M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON LIBER QVINTVS.

*



VM igitur exorto iam sole tertio die, quo in suburbanum illud animi relaxandi gratia concesseram, Marcus qui à latere meo, quo ad ei licebat, nunquam discedebat, iam ad me venisset, paulò pòst Octauianus & reliqui socij omnes affuerunt. Tum Antonius ad Cardanũ conuersus, Quid est Cardane, inquit, imus'ne sessum? non enim tantùm te admonitum venimus, sed etiam flagitatum. Imò verò (inquit Cardanus) flagitare nihil opus est me, qui libentißimè sim Octauianum auditurus. Sed hunc fortasse Maioragium non tantùm flagitare, sed etiam obsecrare oportet, vt se nobis alacrem hodie præbeat, et æquo animo quæcunque dicentur accipiat: nam heri vesperi visus est oratione mea nonnihil commoueri. Non ita est (inquam ego) Cardane: non enim tam facilè moueri soleo, præsertim ijs in rebus, quæ sanè mihi quàm leuißimæ videntur, & ioci tantùm gratia dicuntur. Ioci'ne tantùm gratia (inquit ille) me & Antonium heri disputasse credis? Imò ne erres, scito me ex animo

m locut

igitur ostendere tentabo, non omnino cum Socratis doctrina, neq; cum veritate Paradoxon hoc conuenire: deinde Ciceronis argumenta refellere conabor. Constat autem nullam aliam admirabilitatem quintum hoc caput habere, neq; alia de causa Paradoxon appellatum, nisi quia Seruitutis & Libertatis nomina à vulgari atq; propria significatione ad animum transfert. Nam si verborum proprietatẽ sequi voluerimus, quam omnes & Latini & Græci scriptores sequuntur, præter vnicam Stoicorum sectam, Seruus ille propriè dicetur, qui in alterius omnino potestate est, cuius vis, & fortunæ cõditio infima est, qui sui iuris non est, qui libertatem perdidit: atq; hac in significatione falsum est hoc Paradoxon. Non enim omnes improbi, qui stulti à Stoicis nuncupantur, corpore serui sunt: et præterea multi qui sapientes habiti sunt, seruitutem seruierunt, vt Diogenes Cynicus, Aesopus fabulator, epictetus Stoicus, multiq; præterea alij, de quibus in Epistola quadam ita Seneca: Nescis qua ætate Hecuba seruire cœpit? qua Crœsus? qua Darij mater? qua Plato? qua Diogenes? Liber autem is propriè dicitur, cuius corpus nemini mancipatum est, sed sui iuris atq; potestatis est, & qui nemini est addictus in seruitutem. Atque hoc sanè modo pleriq; improbi liberi sunt, vt Dionysius Tyrannus, Phalaris, Archelaus, cæteriq; innumerabiles: qui cùm essent improbissimi,

præterquam hoc in loco, aut vbi Stoicorum portenta recitat, obseruaui. Nam apud hos autores vbicunque seruorum, atq; liberorum mentio fit, de ijs intelligitur, qui corpore seruiunt, & qui suæ sunt potestatis, quos aliqui volunt ita natura generari: aliqui verò, quod mihi certè verius esse videtur, iure gentium seruos esse factos. Nam Aristoteles, Politicorum primo, multis verbis probare contendit, esse quosdam à natura liberos generatos, quosdam seruos, quibus & vtilis sit, & iusta seruitus. Duobus enim (inquit) modis Seruire dicitur, et Seruus. Est enim quidam seruus, quem leges faciunt. Lex enim conuentum est quoddam, quo bello capta victorum esse dicuntur. Sed aliqui seruitutem hanc iniustam esse existimant: nam isto pacto fiet, vt nobilissimus quisq;, & clarissimus sit seruus. Et ex seruis, si accidat vt captus vendatur, est etiam seruus, quem natura procreauit. Itaq; vult Aristoteles eam solam seruitutem esse firmam, & stabilem, quæ naturalis sit: eam verò, quæ iure quodam ciuili, atq; legibus fit, infirmam esse, quoniam est contra naturam. Quin etiam quorundam sententiam recitat, qui virtute et vitio libertatem & seruitutem distinguunt: vt videatur hæc sententia nonnullorum etiam antè Stoicos fuisse, qui dicerent, Virtute præditos esse liberos, vitiosos autem seruos. Volebant enim, vt ex homine homo, et ex bellua bellua nascitur: sic ex bonis

nasci bonos. Atqui hoc (inquit) natura vult, & conatur efficere, sed tamē sæpe non potest. Ergo hoc quidem apparet, dissensionem hãc quadã ratione nixam esse, aliosq́; esse natura seruos, alios liberos. Et paulò pòst ostendit, neq; dominum, neq; seruum, neq; liberum quenquam ex scientia nominari, sed quia natura tales sint. Ex his igitur perspicuum est, longè diuersam Aristotelis à Stoicorum opinione fuisse sententiam: quippe qui non virtute, & vitio, neq; ex scientia, sed natura potius seruos à liberis distingui velit. Ac mihi quidem licet à natura nequaquam seruos generari placeat, tamen ea sententia verissima videtur, quòd non ex sapiētia serui aut liberi debeant homines appellari. Cur enim ille seruus dici debet, qui in nobilissima atq; amplissima familia natus, non tamen adhuc sapientiam adeptus sit? Aut cur liber ille sit, qui Domino suo paulò sapientior habetur? An non hæc ratio non tantùm domos & familias, sed etiam ciuitates & regna perturbaret? Nam cùm quis seruus dominum suum in aliquo esse vitio videret in quo ipse nō esset, statim se liberum esse clamaret, dominum verò seruum: atq; ita iam infinita bella seruilia concitarentur. Neq; apud Platonem vnquam tale dicendi genus reperi, vt sapientes solos ciues, solos reges, solos liberos appellaret. Quare nequaquam verè dicere Cicero potest, hoc Paradoxon esse Socraticum, cùm potius Socrates,

crates, vt paulò pòst apertè declarabo, mortales vniuersos tam sapientes, quàm insipientes, Deorum esse possessionem velit, atq; Deorum seruituti addictos, vt hac ratione nemo prorsus liber dici possit: quin potius, si quis se in libertatem vendicare uoluerit, et Deo non parêre, statim improbissimus efficitur. Illud quidem verum est, quòd improborum hominum mores Socrates aliquando seruiles appellat: sicuti contrà, bonorum hominum liberales. Sed hoc quadam similitudine fieri perspicuum est: quoniam serui, fortasse quia nō tam diligenter educantur vt ingenui, plerunq; ratione carent, atq; improbi sunt. Atq; hoc est quod Homerus dixit, Iouem optimum Maximum eis hominibus, quos seruos effecit, dimidium mentis abstulisse. quemadmodum Plato de legibus sexto scribit. Ingenui verò homines longè commodius bonis artibus, & uirtutibus, quàm serui, possunt incumbere. Atq; hoc est quod pleriq; dicunt, Nobilitatis propriam esse virtutem. Ita Socrates in Alcibiade primo, Vitiositatem rem seruilem esse ait, virtutem autem virum ingenuum maximè decere. Quo ex loco fortasse Cicero suspicatus est, Paradoxon hoc esse Socraticum, quòd omnes stulti serui sint, sapientes verò soli liberi. Quod (vt dixi) nusquam, quod sciam, aut meminerim, apud Platonem reperitur. Nam quoties de seruis, atq; de seruitute Plato verba facit, semper eos, qui in Dominorū potestate

sunt, intelligit: nisi fortè per similitudinem aliquam loquatur, vt sexto de Legibus, Nos eadem seruitute legibus adstrictos esse debere dicit, qua Deis immortalibus sumus. & decimo de legibus ait, Homines in Deorum atq; Dæmonum esse potestate. Sed profectò natura liberos omnes homines procreauit, quemadmodum Vlpianus noster affirmat: Iure enim naturali (inquit) omnes homines ab initio liberi nascebantur. Seruitutem autem volunt Iurisconsulti iuri naturali contrariam esse. Vnde etiam Libertatem Iustinianus Imperator ita definit, vt dicat esse naturalem facultatē eius quod cuiq; facere libet, nisi siquid vi, aut iure prohibetur. Seruitutem autem esse constitutionem iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. Quod idem affirmat Pomponius iureconsultus, digestis de verborum significatione, & Florentinus digestis de statu hominis. Seruos autem ex eo appellatos quòd imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solerēt, qui etiam Mancipia dicti sunt, eo quòd ab hostibus manu caperentur. Ex quo perspicuum est, seruitutem eo tempore inuentam esse, cùm inter se homines bellare, atq; alius alium sibi subijcere cœperunt: cùm antea omnes naturali libertate fruerentur. Hac igitur ratione, omnes tam stulti, quam sapientes, liberi sunt, qui per seruitutem nulli mancipati sunt. Contrà verò siue sapiēs, siue

stultus

ſtultus fuerit, cùm ita in alterius eſt poteſtate, vt ei parere neceſſe ſit, ſeruus eſt. Sed hæc facilè concedet Cicero, quoniam non de corporis, ſed de animi ſeruitute atq; libertate loquitur. Eſto igitur, ne de verbis inter nos contentio ſit: poſſem enim in hoc immorari, & pluribus exemplis oſtendere, Seruitutem & Libertatem propriè de corpore dici, vt Cicero, Qui à veſtro corpore iugum acerbiſſimum repulit ſeruitutis, et alibi: Populus Rom. pro turpi ſtupro datus in ſeruitutem. pro Domo ſua: Ciuitas ſeruitute oppreſſa. de Officijs: Mors ſeruituti anteponenda. in Antonium: Seruitus eſt poſtremum malorũ omnium, non modò bello, ſed morte etiam repellendum. Verùm à Socrate Magiſtro didici, nõ oportere de nominibus eſſe ſolicitum. Nã in eo Dialogo qui Politicus inſcribitur, ita inquit: Si verborum curioſitatem vitaueris, euades in ſenectute ſapientior. Quare verborum proprietatem, quæ tota pro nobis contra Ciceronem eſt, relinquamus, & rem ipſam potius videamus. Dico igitur primò, naturaliter omnes homines tã corpore, quàm animo liberos eſſe, neq; vllum omnino ſeruum à natura procreatum. Atq; hac ratione, falſa erit omnino Ciceronis ſententia, quòd ſoli ſapientes ſint liberi. Satis enim conſtat inter omnes qui rectè ſentiunt, liberas omnium eſſe voluntates, vt vel virtutes amplecti, vel vitia ſequi ſi voluerint, ſuo arbitrio poſſint: vt etiam qui improbus

est, eam habeat libertatem, vt relicta mala viuendi consuetudine, poßit ad honestatem animum applicare, quod in categorijs Aristoteles his verbis præclarè docet: Ex bono etiam improbus, & vicißim ex malo probus effici potest. Prauus enim si ad meliorẽ vsum, rationemq́; ex mala deducatur, iam habeat ad virtutem progreßionis aliquantum: cùm autem semel vel parum in virtute processerit, profectò aut perfectam sapientiam mutatione morum consequetur, aut certè magnam in virtute faciet progreßionẽ: semper enim aptiores animos habet ad virtutem, quamuis parum initio in ea processerit: vt verisimile sit, eũ maiorem progressum esse facturum. Quod si sit sempiternum, tandem certè aliquando nisi tempus impediat, perfectam sapientiam consequetur. Quare contra Ciceronem ita concludi potest: si improbi potestatem eam in se habent, vt abiecta animi prauitate, virtutem, atq; honestatem sequantur, nequaquam serui sunt dicendi: si enim eorum animus seruus esset, nullo modo libertatem eam haberet, vt viuendi cõsuetudinem immutaret. Sed quamplurimos legimus, cùm longo tempore vitijs omnibus sese dedidissent, postea viros optimos esse factos. Sic C. Valerius Flaccus, cùm luxu perditam adolescentiam egisset, postea quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum modestiæ, & sanctitatis specimen euasit. Sic Q. Fabius Allobrogicus,

cuius

cuius adolescētia nihil infamius, senectute verò, nihil ornatius, aut honestius. Quid de Themistocle dicam? quē propter ingentia vitia pater abdicauit, cuius mater ob immensam filij turpitudinem suspendio vitam finiuit: sed quis eo postea virtute, & sapientia clarior extitit? Nihil de Polemonis adolescentia dicam, qui non tantùm flagitiosis ac turpissimis voluptatibus, sed etiam ipsa infamia gaudere videbatur: verùm postea grauissima Xenocratis oratione commotus, ex infami Ganeone maximus & sapientissimus Philosophus euasit. Sed tempus mehercle deficeret, si omnes, quorum mihi exempla succurrūt, commemorare vellem, qui ex improbissimis & pessimis, sapientissimi atque optimi facti sunt. Quæ res omnino declarat, eos liberam habuisse voluntatem, vt eam à vitijs ad honestatem inclinarent. Quin etiam contrà, uir probus & honestus, quemadmodum in Protagora Socrates ait, impius & sceleratus fieri potest: quod infinitis exemplis facilè potest intelligi. Quot enim in literarum monumentis reperiuntur, qui cùm honestissimè longo tempore vixissent, postea flagitijs omnibus dediti, turpissimè vitam egerunt. Quorum exempla, ne videar historiam contexere, non disputare, prætermittam. Patet igitur, liberum esse nostræ voluntatis (vt Theologi nostri vocant) arbitrium: quod etiam Cicero multis in locis ostendit: sed in eo præcipuè libello, quem de fato

contra

contra Stoicos conscripsit: in quo reprehendit eos, quòd mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati deuinciant: probatq́;, esse debere motum animi volũtarium. Nam quod Theologi nostri Liberum arbitrium, Cicero Voluntatem liberam, & Motum animi voluntarium appellare solet. quod in omnibus hominibus esse tam seruis, quàm liberis: tam fœminis, quàm maribus: tam improbis, quàm probis, Christianæ nobis institutiones persuadent. Neq; enim opus est, vt hoc loco recenseam ex scripturis sacris sanctissimorum hominum autoritates, quibus voluntatem hominum omnium esse liberam comprobetur. Nam neque ego id commodè præstare possem: quippe qui per ætatem nondum satis illi studio nauare operam potui: nec si possem, opportunum hoc tempore putarem esse. Satis enim mihi videtur ad institutam disputationem, id vos admonuisse, quod sapientissimi homines sentiunt, & nobis credere necesse est: siquidem Christiani esse volumus, neq; hæresis (vt vocant) nomine condemnari. Liberos esse animos nostros, & suo arbitratu, vel honestatem, vel vitia complecti posse. Quæ cùm ita sint, iacet omnino Ciceronis sententia, Nisi sapientem liberum esse neminẽ. Nam hac ratione mortales vniuersi liberi sunt, quatenus motus animi voluntarios, & liberas voluntates habent. Repugnant enim hæc omnino inter se, cùm de animo solo loquamur, Seruos

esse,

esse, et Liberam habere voluntatem. Quare nullo modo fieri potest, quod ad hanc rationem attinet, vt improbi serui sint. Verùm quia negare nō possumus, quin à sanctissimis viris, & nostræ religionis antistitibus dictum sit, Sceleratos homines peccatorū suorum esse seruos: Nam etiam ipse nostræ salutis autor & parens Christus, diuinam eam sententiam, quæ in Ioannis Euāgelio legitur, sua voce protulit, Quicunq; (inquit) peccatum committit, is peccati seruus est, quod eleganter sanè Claudianus his versibus explicuit:

Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges. tunc omnia iura tenebis,
Si poteris Rex esse tui.

Videamus quid de hac animi seruitute sentiēdum sit: nam illud, quod prius diximus, immotum omnino, atq; inconcussum manere oportet, Animum omnium natura liberum esse. Neq; enim aliquid per se deliberationis inire, nihil statuere, nihil consultare posset. Verùm quamuis hoc ita sit: tamen omnes, siue stulti, siue sapientes sint, sua sponte se in seruitutem tradunt: non alia sanè de causa, nisi vt si quo modo fieri potest, feliciter, ac beatè viuant. Natura enim omnibus beatitudinis cupiditatem ingenerauit: quam vt aliquando assequantur, nullam conditionem recusant durissimæ seruitutis. Sed in hoc à stultis intelligentes differunt: quòd

quòd intelligentes rectam felicitatis viam ingressi, virtuti atq; honestati seruire incipiunt: vel (vt melius dicam) per virtutem atque honestatem Dei immortalis serui efficiuntur: atq; isti sunt, qui sapientes appellantur. Stulti verò, quia summũ in corpore, atq; in voluptatibus, bonum esse putant, improbissimis dominis dedecori, atq; turpitudini se in seruitutem tradere non dubitant. Atque hac sanè ratione mortales omnes iure optimo serui dici possunt. Sed boni viri, atq; sapientes, Dei immortalis serui sunt: improbi autem, atq; stulti, peccatorum suorum imperio, ac potestati, tanquam vilia atque abiecta mancipia, subditi sunt. Quòd autem sapientes Dei serui dicantur, plurimis exemplis declarari potest: sed adeo manifestum est, vt ferè probatione non egeat. Illud tamen silentiõ præterire non possum, quod ad Dionis propinquos, atq; amicos, in epistola quadam Plato scripsit: Seruitus (inquit) & libertas si modum excedat, vtraq; mala est: si modum obseruet, vtraq; bona. Moderata quidem seruitus est, quæ Deo exhibetur: immoderata verò, quæ hominibus. Hac de causa Socrates aiebat, Magis Deo, quàm cæteris omnibus parendum esse. Nam in Apologia sua his verbis vtitur: Ego quidem vos Athenienses veneror, ac diligo: sed mihi certum est, magis Deo, quàm vobis obedire. Quin etiam idem Socrates in Phædone, Rectissimè (inquit) hoc mihi di-

ctum

ctum videtur, Quòd Dei nostri curam agant: &, quòd homines vna quædam Deorum possessio sunt. Et paulò pòst, hoc siquid aliud (inquit) affirmando ego contenderem, morientes nos ad Deos, tanquam ad optimos Dominos accedere. Huc accedit, quòd non tantùm Dei, sed etiam iustitiæ & legum viri boni serui dicuntur: atque ideo pro Cluentio inquit Cicero, Legum ideo omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. Atq; etiam in commune consuetudine, cùm aliquem maximè religiosum, & optimum atq; sanctissimum hominem significare volumus, eum Dei seruum appellamus. Quamobrem & sapientes, & improbi serui sunt: sed in eorum dominis maxima differentia est. Nam sapientum Dominus, ipse Deus omnium bonorũ autor & largitor est, qui seruos omnes suos æterna beatitudine donare solet: improborum autem Dominus, ipsum est peccatum, miseriarum omnium, atq; calamitatum pelagus, quod seruos suos in sempiternas ærumnas, & perpetuos cruciatus præcipitat. Quamuis igitur omnes tam animo quàm corpore, natura liberi sint: tamen quia hominis natura priusquam finem suum sortiatur, quæ felicitas est, quodammodo manca atq; imperfecta est: ideo necessitas cogit, vt se omnes in seruitutẽ ei dedant, à quo se beatam vitam adepturos sperant. Plerique autem deprauato animi iudicio, quia beatos se forè existimant, si libidines suas omnes

explere potuerint, peccatorũ omnium nequißimi serui efficiuntur. At verò nonnulli Delphico illi oraculo parentes, quo iubetur vnusquisq; se ipsum noscere, diuinam originem suam intuentur: atque ita præclarè intelligentes, non aliunde se posse felicitatem assequi, quàm ab immortali Deo, rerum omnium parẽte optimo, suas omnes cogitationes, suum studium, suas curas, mentem deniq; omnem ei quasi mancipio tradũt: atq; hoc modo Dei immortalis optimi serui efficiuntur. Sed hæc omnino seruitus, qua viri boni Deo mancipati sunt, sola vera libertas appellari potest. Cur enim ea, quæ manifestißima sunt, & rationi maximè consentanea negemus? Vera (inquam) & sola libertas est, Deo fidelißimè seruire, atq; eius præcepta diligentissimè custodire. Non enim vereor, ne in propria causa præuaricator esse videar: cùm præsertim alijs rationibus ostendere poßim, falsum hoc esse Paradoxom. Quamuis enim concedam, nullam aliam esse malorum fugam, quemadmodum in Phædone Socrates docet, nullam rationem qua poßimus à calamitatibus liberari, nullam viam qua nostros animos in libertatem vendicare poßimus, nisi pro uiribus nostris enitamur Deo quàm simillimos fieri: non tamen ideo Ciceroni concedam, solos sapientes esse liberos: aut solos stultos seruos. Tametsi facilè illud etiam concesserim, omnem animi fractam atq; obiectam obedientiam, qua quis

dedec

dedecori atq; turpitudini mancipatur, peßimam esse seruitutem. Quid ergo? An non soli sapientes sunt liberi? soli stulti serui? Minimè verò, si hoc absolutè intelligas. Naturaliter enim omnes (vt diximus) liberi sunt. Sua verò sponte se etiam omnes in seruitutem dedunt. Itaq; quodammodo sine discrimine omnes liberi sunt, quodammodo serui. Verùm quoniam diximus, verißimam esse libertatem Deo quàm fidelißimè seruire: videamus, an hoc illius tantùm sapientis sit, quem Stoici confingunt, qui nullus omnino esse potest. Volunt enim illum tandem sapientem appellari, qui nulla penitus animi perturbatione concuti poßit, (nam omnem animi commotionem, vt doctè sanè Cardanus heri contrà disputauit, insaniam appellant) qui nunquam vlla re doleat, nunquam lætetur, nihil omnino speret, nihil extimescat. Hîc est sapiēs Stoicorum, qui nihil à stipite, atq; trunco, mihi sanè differre videtur. Sed nullus est omnino mortalium, qui vel poßit, vel debeat his animi motionibus penitus carere. Prodest enim aliqua in re dolere, prodest sperare, prodest extimescere. Vnde nostris legibus, idest Christianis, optimè institutum est, vt quoniam nemo perfectè sapiens esse potest, sed vt omnes in re aliqua peccēt, atq; in errorem incidāt necesse est, quotannis publico quasi dolore quodam, et tristitia declaremus, peccatorū nostrorum nos pœnitere: credimusq; dolorem illum, atq;

illam tristitiã nos à peccato liberare. Quin etiã veræ sapientiæ principium, non in nihil pertimescendo, sed potius in Dei timore collocamus. Tãtum autem abest, vt nihil sperandum dicamus, vt etiam firmam spem, vnam è summis virtutibus esse statuamus. Lætitiam verò non tantùm non fugiendam censemus, sed etiam ipse nostræ salutis autor Christus, nobis præcipit, vt lætemur, & exultemus quoties intelligimus laborum nostrorum quasi mercedem in cœlo nobis esse repositam. Non tantùm igitur nullus est sapiens, qualem Cicero cum Stoicis fingit, sed nec esse debet. Nam istud Nihil moueri, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore. Quare si nullus sit eiusmodi sapiẽs, nullus erit omnino liber. Sed omnes tanquam in ergastulo seruitutis cõstricti vitam agent. Quòd autem nemo talis sapiens reperiatur etiam ipse vidit Cicero: vt maximè mihi mirum videatur, quòd cùm se non esse sapientem intelligeret, tamen eam sententiam secutus sit, vt quicunq; non esset sapiens reum & stultum & seruum nequissimum existimaret: nam libro de Diuinatione secundo eius hæc sunt verba: Nam si quod rarò fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentũ est: sæpius enim mulam peperisse arbitror, quàm sapiẽtem fuisse. Quin etiam de Officijs tertio, perfectum id officium, quod omnes virtutis numeros habet, in sapiẽtem

solùm

ſolum ait poſſe cadere: pauloq́; pòſt oſtendit, neminem eſſe eorum, qui ſapientes videntur, qui verè ſapiens dici poſſit, his quidem verbis: Nec verò cùm duo Decij, aut duo Scipiones fortes viri commemorantur, aut cùm Fabricius, aut Ariſtides iuſtus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his iuſtitiæ, tanquam à ſapiente petitur exemplum. Nemo enim horum ſic ſapiens, vt ſapientem intelligi hic volumus: nec ij, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati M. Cato, et C. Lælius ſapientes fuerunt, nec illi quidem ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemq́; ſapientum. Hoc idem etiam Socrates atteſtatur in Apologia ſua: Deus (inquit) ſolus eſt ſapiens: humana verò ſapientia parui cuiuſdam, vel potius nullius pretij eſt. In Hippia verò minore Socrates idem inquit: Hominum ſapientiſſimum, ſi cum Deo conferatur, tanquam ſimiam quandam eſſe. Præterea in extrema Phædri parte, Magnum quiddam, inquit, mihi certè videtur, ò Phædre, ſapientem appellari, nomenq́; hoc Deo ſoli conuenire: ipſum autem hominem, vel ſapiētiæ amatorem, vel aliquid eiuſmodi potius conuenit appellare. Satis igitur conſtat, nullum penitus hominem rectè ſapientem appellari poſſe. Quod etiam vulgari prouerbio iactari ſolet, Neminem eſſe mortalium, qui omnibus horis ſapiat. Quod etiam ſeptimo libro Plinius vſurpat. Nam quis

homo reperiri potest, qui ita liber sit, vt secundo sermonum libro, Stoicos secutus, Horatius depingit his versibus:

Quis nam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,
Quē neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrēt,
Responsare cupidinibus, contemnere honores,
Fortis, & in se ipso totus teres, atq; rotundus,
Externi nequid valeat per leue morari.
In quem manca ruit semper fortuna.

aut qualem in epistola quadā his verbis Seneca describit: Sapiens ad omnem incursum inuictus, & interritus est: non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert, interritus contra illa ibit, & inter illa sapiens plenus est gaudio, hilaris, & placidus, & inconcussus cum Dijs ex pari viuit. Nemo igitur talis reperitur: sed nobiscum præclarè agitur, si à peccatis illis grauioribus abstinere poterimus, nedum speremus ab omni nos crimine liberari posse: rectè enim dixit Horatius:

Nam vitijs sine nemo nascitur: optimus ille,
Qui minimis vrgetur.

Et secūdo libro Propertius:

Vnicuiq; dedit vitium natura creato.

Et Catullus: Suus cuique attributus est error. Quod etiam in Alcibiade primo Socrates ostendit, cùm apertißimis rationibus probat, nullum esse hominem qui curatione non indigeat. Quamobrē ex his omnibus id conficitur,

Nullum

Nullum esse mortalium, qui verè sapiens dici poßit.

Quod si vera est hæc Ciceronis & Stoicorum sententia, Nisi sapientem liberum esse neminem: nullus erit ex omnibus, qui liber vocari poßit: sed seruorum, & stultorum erunt omnia plena. Atq; ita fiet, vt animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, præclara quadam conditione generatū, quod à Deo solùm ex tot animantium generibus, atq; naturis, particeps rationis & cogitationis, cùm cætera sint omnia expertia, formatum est: nihil aliud sit, ex hac Ciceronis & Stoicorum sententia, quàm vile quoddam, & stultum, & abiectum mancipium. Quòd si hoc prorsus absurdum est, nequaquam vera potest hæc esse sentētia. Sed certè quicunq; se honestati, atq; virtuti tradunt, quamuis sapientes non sint, nihilo tamen minus liberi dicuntur: et quamuis in aliquem errorem aliquando labantur, non tamē statim libertatem amittunt, aut dementes fiunt. Quòd si diligenter hoc admirabile Stoicorum effatum consyderare voluerimus, certè aut indignari, aut ridere necesse nobis erit. Quid enim hoc quæso est? Nemo nisi sapiens liber est. Quid tum postea? Omnes stulti serui sunt. Audio: sed quis est sapiens? Qui omnibus virtutibus instructus est, qui omni prorsus vitio caret, qui nunquam animo commouetur. Rectè sanè, nam talem esse Deum censemus, aut quicunq; Deo quam simillimus

mus est. Sed est'ne aliquis ex mortalibus eiusmodi? Nemo sanè. Cùm ergo nemo sapiens sit, ne liber quidem quisquam erit? Esto. Quid ergo? qui sapiens non est, quo eum nomine appellabis? Sultum, inquit. Et qui liber non est? Seruum. Sed nullus homo sapiens: ergo omnes stulti, atq; serui. At verò in superiori Paradoxo concluserat, Omnes stultos insanire. Quo fit, vt tandem concludendum sit, Mortales omnes & stultos, & seruos, & insanos esse. Quo quid ineptius concludi potest? Nos igitur, qui nequaquam Stoici volumus esse, quamuis neminem esse sapientem statuamus: non tamen ideo concedimus, omnes esse stultos. Nam inter veram sapientiam, & stultitiam, multos esse gradus intelligimus: vt ille stultus dicatur, qui nihil cum ratione, nihil cum virtute agit: sed libidini tantùm, atq; appetitui pareat. Qui verò videt quidem quid ratio postulet, quid virtus sit, neq; tamen pro virili nititur honestè se gerere, sed interdum rationem, interdum appetitum sequitur, is nequaquam penitus stultus est, sed tamen nondum bonus dicitur. At qui quantum facultas sua fert, honestati dat operam, & quicquid agit, quicquid cogitat, id ad vnum rectè viuendi finem refert, quamuis in aliquos errores vel per imprudentiam, vel propter humanam imbecillitatem prolabatur: nihilo tamen minus vir bonus, & quodammodo sapiens appellatur. At verò Stoici cùm primum

in err

in errorem aliquem homo vel leuißimum incidit, cum subitò stultum, seruum, insanum proclamant: quoniam nullum inter peccata discrimen statuunt: vt tam improbus sit, & stultus, & insanus, qui per iniuriam seruum suum leuiter percusserit, quàm qui parentem suum nefariè strangularit. Hæc cùm intelligerem Stoicorum dogmata inepta esse atq; ridicula, non dubitaui contra Ciceronem sententiam meam, quæ cum Socrate, & cum veritate conuenit, coram vobis proferre. Reliquũ est, vt ipsius Ciceronis argumenta diluamus: quæ tamen pleraq; potius cum nostra sententia conueniunt, vt intelligetis, quàm Stoicorum dogma confirment: nisi forte quis vestrum aliquid ad hæc amplius requirit. *Nihil sanè, inquit Marcus: nam ita dilucidè, atq; apertè disseruisti: vt non dubitandum sit, quin peßimè cum Stoicis Cicero senserit. Itaq; facillimam tibi video ad eius argumenta destruenda viam esse præmunitam. Perge igitur, vt cœpisti, & institutam disputationem tuam perfice: nam si Constantinus etiam (vt spero) rectè se gesserit, cui Paradoxon vltimum euertendum obtigit, omnino magna res à nobis erit acta, quam nullus vnquam tentare ausus est. Enitar (inquit Constantinus) pro viribus, ne vobis inferior in hac parte videar. Quamuis enim neque doctrina, neq; eloquentia cum vllo vestrum comparandus sim: efficiam tamen profectò, vt omnes intel-*

ligant, non rectè à Cicerone probatum esse, Solum sapientem esse diuitem. Sed prius Octauianum pensum suum absoluentem audiamus. Tum ille: Primum est hoc (inquit) Ciceronis argumentum: Non est imperator ille laudandus, neque hoc nomine dignus, neque cuiquam imperare libero potest, qui non potest cupiditatibus suis imperare. Primò si tibi hoc concedam Cicero, nequaquā tamen id quod vis efficies. Licet enim ille non rectè Imperator appellari poßit, non tamen ideo rectè sequitur, vt seruus sit, aut stultus. Et quamuis hoc etiam concedatur, nequaquam tamen erit conclusum, solum sapientem esse liberum. Verùm si communem loquendi sermonem sequi volumus, ille verè dicitur Imperator, qui belli gerendi bonus est administrator, & cuius officium est, summæ Reip. consulere, & pro salute patriæ, vel pro imperij amplitudine bellare. In quo si scientia rei militaris, si bellica virtus, si autoritas, si felicitas insit, rectißimè summus Imperator appellatur, qualem Pompeium pro lege Manilia fuisse probat Cicero. Nec in eo quæritur, vt eo modo, quo Stoici volunt, sapiens sit, ad Imperatoris nomen obtinendum. Licet enim aliquando irascatur, & alicui se voluptati dedat, tamen si rectè exercitui præest, & adeo callidus & peritus sit, vt ab hostibus non facilè circunueniri poßit, Imperatoris summi nomen obtinet. Nisi fortè Annibalem, quem toties summum

Imperat

Imperatorem & à Cicerone, & ab alijs plerisq; scriptoribus appellatum legimus, nos quia crudelis, atque impius erat, non Imperatorem fuisse, sed inertissimum seruum existimare volumus. Aut Cæsarem, qui virtute bellica mortales vniuersos antecelluit, quia cupiditates suas refrænare fortasse nesciebat, aut nolebat, indignum Imperatoris nomine censeamus. Quis igitur erit Imperator? certè neq; Themistocles, neq; Conon, neq; Miltiades, neq; Scipiones, neque Pompeius: quoniam nullus horum sapiens fuit, sed aliquis fortè Græculus summa loquacitate præditus ex Stoicorum schola delectus, qui longo otio penè marcidus sit, & qui nũquam gladium vagina vacuum viderit, si Dijs placet, summus erit Imperator. Itaq; quoties de bello deliberandum est, non in cõsilium C. Marius admittetur, non L. Sylla, quoniam isti sapientes non fuerunt: sed excitabitur aliquis ex diuturna garrulitate sua Barbatus, qui (vt ait Persius) exporrecto trutinetur verba labello: atq; hic rectè summæ Reipub. præficietur, quoniam scilicet optimus est Imperator: didicit enim famem & sitim tolerare, quia nihil erat, quod ederet: didicit voluptates & diuitias contemnere, quoniam summa paupertate premebatur: didicit iracundiam cohibere, quoniam omnibus ei blandiendum, atque adulaudum fuit, vt ventri satisfaceret. Hæc summi sunt Imperatoris officia. Sed extra

iocum, certè mihi videtur non rectè fecisse Cicero, qui spoliarit eos Imperatorum nomine, quicunq; non omni animi commotione carent: non enim hoc loco disputabo. Peripateticis, atq; Academicis ita visum esse, vt animi perturbationes vtiliter à natura datas existimarent, & iracundiam fortitudinis cotem esse dicerent. Illud dicam ineptè penitus concludi, quòd solus sapiens sit Imperator: nisi fortè noua aliqua nomina fingenda nobis sunt, quibus illos appellemus, qui bellicis rebus præficiuntur. Hos enim paßim apud scriptores & antiquos, & recentiores, Imperatores appellari video: cùm neminem tamen vnquam ex tot summis Imperatoribus, qui post hominum memoriam floruerunt, sapientem eo modo, quo Stoici volunt, fuisse compertum sit. Itaq; cõcludendum est, laudari posse eum Imperatorem, & eo nomine dignum censeri, qui rei militaris scientiam habeat, qui bellica virtute cæteris antecellat, qui magna sit autoritate præditus, cui prosperè res illæ, quas gerit, plerunq; succedunt, etiam si non omnibus cupiditatibus suis imperet. non enim ideo Pompeius, cùm in Asia bellaret, summi Imperatoris nomen amisit, quia quædam nimis cupidè atque insolenter ageret, & inuidia quadam inductus de Luculli fama, qui antè illum in ea prouincia nomen Imperatoris summa cum laude ac celebritate tenuerat, aßiduè detraheret. Quid Alexander ille Macedo?

quantus

quantus Imperator ab omnibus ſemper iudicatus fuit? vt poſt hominũ memoriam nullus vnquam tam breui tempore tantam gloriam in bello ſit adeptus, & tamen pluribus vitijs Imperatorias eas laudes inquinauit. Quid ergo? dicet aliquis, an non præſtantior eſſet Imperator, ſi ſummam eſſet adeptus ſapientiam? Quis de hac re dubitare poteſt? imò potius omnes eum, ſiquis eiuſmodi reperiretur, non tanquam aliquem natum, ſed tanquam è cœlo delapſum Deum intuerentur. Sed quis ille fuit vnquam, aut eſſe potuit, qui cum ſumma bellica laude, perfectam etiam ſapientiam copularit? Itaque ſi plurimi fuerunt Imperatores eximij, nec eorum quiſquam verè ſapiens vnquam fuit, omninò diſtincta eſt à ſumma ſapientia laus Imperatoria. Quare poterit eſſe: aliquis Imperator ſummus, aut ſaltem magnus, etiam ſi cupiditatibus ſuis, eo modo, quo ſapientes ſolent, imperare neſciat. Falſum eſt igitur quod ait Cicero, dum aliquis cupiditatibus ſuis obedit, neq; Imperatorem, neq; liberum appellari poſſe. Sed dictum eſt ab eruditiſsimis viris, Niſi ſapientem liberum eſſe neminem. Sit ita ſanè, quoniam Stoici dementes prorſus homines tibi videntur eruditiſsimi. Sed quibus id rationibus probant? Quoniam (inquit) libertas, poteſtas eſt viuendi vt velis. Hæc ſanè definitio veriſſima, nam libentiſsimè quæ vera mihi videntur Ciceroni concedo: quoniam non contra dicendi ſtudio, ſed

verit

veritatis indagandæ gratia, tota hæc à nobis ſuſcepta diſputatio eſt. Itaq; non in eam diſputationem deſcendam, quæ maximè probabilis eſſe videretur, quòd omnes principes atq; reges, quamuis improbi ſint, tamen ex hac definitione omnium eſſent liberrimi, quoniam eam poteſtatem, & quidem ſummam, habere videntur, vt viuant quomodo velint. Nam ab optimo præceptore Socrate in Gorgia didici, Sceleſtos homines, quãuis ea faciant, quæ ſibi bona atq; vtilia videntur, non tamen ea facere, quæ volunt: quoniam omnes naturaliter, tantum quæ verè bona ſunt volunt, licet plerunque fallantur. Totam igitur hanc diſputationis partem prætermittam, Ciceroniq; cõcedam, ſceleſtos, atq; improbos homines, nequaquam viuere vt volunt: & tantùm eum viuere vt vult, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, & quæcunq; ſequuntur, nam copiosè ſanè, atq; eleganter ſapientem deſcribit hoc loco Cicero: quæ concedenda illi ſunt omnia, præter eam concluſionem, Niſi qui talis ſit eſſe liberum neminem. Sed fortaßè veſtrum aliquis admiratur, quomodo hoc fieri poßit, vt quamuis libertatis definitionem veram eſſe concedamus, & ſolùm ſapientem vt velit viuere, negemus tamen concluſionem, quæ neceſſariò conſequi videtur, ſi ita conformetur argumentatio, Libertas eſt poteſtas viuendi vt velis, ſolus ſapiens viuit vt vult, ergo ſolus ſapiens eſt liber. Atq; hæc ſanè

mihi

mihi ratiocinatio duobus modis peccare videtur: primò quoniam in maiori propositione rei natura ponitur, quæ per definitionem explicatur: in minori verò non natura rei, sed effectus hominum ponitur, atq; ita non idem de eodem dicitur. Non enim ab hominum effectu rei natura penditur: quoniam vel rarò, vel nunquam accidit, vt in homine aliquo perfecta sit alicuius rei natura, quamuis alius alio magis eam participet: atq; ideo fit, vt quoties multi rei naturam alicuius participant, quamuis alius alio magis, tamẽ omnes ab ea nomen habent, atq; appellationem. Vt artis oratoriæ vis & natura ea est, vt persuadere poßit quæ velit: nemo tamen fortaſſe reperietur tam excellens orator, qui quæcunq; voluerit ea persuadeat, licet artem oratoriam plurimi participent. Quòd si fortè aliquis, vt Demosthenes, quæcunq; velit persuadeat: ineptè tamen faciet, quisquis eum solum oratorem esse cõcludere voluerit: cùm etiã alij pleriq;, licet non omnia quæ velint, tamen plurima persuadeant. Concedemus igitur maiorem quidem, & meliorem oratorem esse Demosthenem: sed solùm esse oratorem, non concedemus. Ita cùm sapientia sit humanarum ac diuinarum rerum cognitio, quis nõ videt, nullum esse mortalium, qui res omnes diuinas atq; humanas cognoscat? Et tamen cùm eam cognitionem plerique participent, sapientes meritò vocantur: quoq; maiorem habent di-

uinarum atq; humanarũ rerum cognitionẽ, eò sapientiores dici solent. Eodem igitur modo, cùm libertatis natura ea sit, vt quocunq; modo voluerit, viuere possit: fortassè nemo reperitur, qui sibi plenè in omni vita satisfaciat, licet omnibus naturaliter sit ingenita libertas. Quod si sapiens aliquis reperiatur, qui rebus in omnibus viuat vt vult: non tamen solus ipse liber dici potest, quoniam etiam alij quamplurimi, quamuis non in omnibus rebus, tamen in pluribus, viuunt vt volunt. Sit ergo per me sapiens cæteris longè liberior, modò intelligatur, nequaquam solum esse liberũ, quoniam homines omnes libertatis naturam participant: & quò quis melior & sapientior per virtutem efficitur, tantò etiam liberior euadit: atq; ita qui omnium est sapientissimus, est etiam omnium liberrimus. Sed quia nemo perfectè sapiẽs esse potest, ideo neq; vndiq; absolutam libertatem nemo consequitur. Atq; hic est primus modus quo peccat hæc Ciceronis ratiocinatio: quòd scilicet à rei natura procedit ad hominum effectus, qui nunquam perfectè rei naturam exprimere possunt. Alter est captionis modus longè apertior, quem à Cicerone non animaduersum esse vehementer admiror: cùm enim omnis recta definitio, quemadmodum Dialectici volunt, ex genere constet, atque suis differentijs, & libertatis definitio sit hæc, quam affert Cicero, potestas viuendi vt velis: Potestas erit liber-

tatis genus: ipſum verò, Viuere vt velis, differentia. Et quoniam genus de ſuis formis omnibus generatim dicitur, verum erit dicere, Omnis libertas eſt poteſtas. Sed quia nequaquam hæc ratio reciprocatur, neq; enim ſpecies de generibus dicuntur, non erit verum dicere, Omnis poteſtas, eſt libertas: contrahitur enim libertatis nomen ad vnam quandam poteſtatis ſpeciem. Conſtat igitur, omnem libertatem in poteſtate ſitam eſſe, quoniam omnes ſpecies in ſuis generibus ſunt: ſed poteſtas & actus, vt Ariſtoteles, & cæteri omnes Peripatetici docent, inter ſe plurimũ differunt: vt quæ ſunt in poteſtate, nequaquam tamen ſtatim in actu ſint: et præterea quæcunq; naturam ſuam habent in poteſtate, nequaquam ex actu denominantur, ſicuti neq; actus à poteſtate denominatur: vt homo, quanquam ſemper ridere poßit, non tamen ſemper ridet, neq; ridens ideo dicitur, quia ridere poßit, ſed ab ea proprietate non ridens, ſed aptus ad riſum dicitur. Cũ igitur libertas in poteſtate naturam ſuam habeat, quia poteſtas eſt viuendi vt velis, certè non ab actu viuendi denominari debet. Itaq; quamuis nullus in omnibus rebus omnino viuat vt vult, poſſunt tamen omnes eſſe liberi: quoniam viuendi vt volunt poteſtatem habẽt, quæ libertatis definitio atq; natura eſt. Non enim dicit Cicero libertatem eſſe viuere vt velis: ſed poteſtatem viuendi vt velis. Quare cùm omnes homines (vt

alibi

alibi diximus) liberam habeant voluntatem, etiam ad honestatem animum applicare possunt, & viuere vt volunt: quò fit, vt omnes liberi sint. Decipitur autem in minori propositione Cicero, quoniam à potestate ad actum transit, cùm ita format argumẽtationem, Libertas est potestas viuendi vt velis: Solus sapiens viuit vt vult. Oportebat enim hoc modo assumere, Solus sapiens potest viuere vt vult: quæ apertè falsa assumptio est, cùm omnes liberam animi voluntatem habeant. Quòd si rectè velit argumentari, quæcunq; pro assumptionis approbatione sumuntur ab eo, in quibus rectè sapientem describit, falsa erunt. Non enim verum est, quòd tantùm ille possit viuere vt vult, quicunq; recta sequitur, & qui gaudet officio, & quæ sequuntur. Quod autem ait Cicero, Igitur omnes improbi serui: facilè concedimus, quatenus improbi sunt, eos esse peccatorum seruos: sed non tamẽ necessarium est, vt animi libertatem penitus amittant: quoniam quotiescunq; voluerint à peccatis se liberare, id in sua positum est facultate: quoniam ab immortali Deo libertatem eam omnes consecuti sunt. Et quamuis omnes improbi serui sint, quoniam hoc negare non possumus: non tamen rectè concluditur, Omnes stultos esse seruos, quoniam non omnes stulti sunt improbi: licet contrà rectè dicatur, Omnes improbos esse stultos. Est enim stultitia genus quoddam, quemadmodum ex

Socr

Socratis sententia rectè Cardanus heri declarauit, cuius vna magna species est Improbitas. Sed improbitatem eam intelligimus, quæ à deprauato animo proficiscitur: vt enim si Phalaris, aut Dionysius Tyrannus aliquid fortè iustè ac moderatè fecerit, non tamē ideo iustus, ac moderatus dicetur, quoniam nequaquam à iusto, ac temperanti animo, neq; ab habitu rationi consentaneo; sed casu, & fortuita quadam animi inclinatione, actiones illæ proueniunt. Ita si quis vir iustus, ac temperans, in aliquam fortè iniustitiam, atq; libidinem inciderit, non tamen debet illico seruus, atq; improbus appellari: alioquin quis seruitutis nomen effugere poterit? cùm nemo tam religiosus, nemo tam sanctus inueniatur, quin in aliquod aliquando peccatum incidat. Clamat enim ille sapiens Hebræus, Septies vno die peccabit iustus. Quòd si vera esset hæc Ciceronis sententia, septies vno die seruus fieret, atque ita nemo penitus mortaliū esset, quin graui seruitute premeretur. Sint ergo hæc distincta, vt qui prauitate animi virtutem omnem, atq; honestatem negligit, & in omne scelus prolabitur, is omnino seruus appelletur: qui verò studio virtutis inuigilat & omnia honestatis adipiscendæ, fugiendæq; turpitudinis gratia facit, etiam si sæpenumero propter humanā imbecillitatem peccet, is liber est existimandus. Nam si seruitus est, vt ipse definit Cicero, obedientia fracti animi, & abiecti

iecti, & arbitrio carentis suo, certè nemo, nisi vehementer improbus, & qui iam in vitijs ita callum obduxerit, vt vel nullo modo, vel summa cū difficultate poßit emendari, seruus dicetur: homo enim eiusmodi penè totum arbitrium suum amisit, & à vitijs ita obstrictus tenetur, vt nullam honestatis partem intueri poßit. Cuius verò animus nondum ita fractus, atque abiectus est, vt arbitrio suo careat: sed ad honestè quidem viuendum est inclinatus, verùm interdū in vitia aliqua prolabitur, quæ causa est, vt hic seruus dici debeat? Sint ergo serui illi, quicunq; signis, tabulis, cælato argento, Corinthijs operibus, ædificijs magnificis delectantur, si ijdem etiam sint improbi: quòd si cæteris in rebus honestatem colant, nō video cur eos, qui Echionis tabula stupidi detinētur, aut aliquo signo Polycleti, debeant à te Cicero ineptiarū omnium serui iudicari. Quæ enim improbitas est, aut quæ malicia, tabulis & signis delectari? Profectò facere non possum, quin mecum aliquādo suauiter rideam, cùm hæc Ciceronis argumenta perlego: cùm enim proposuisset, improbos omnes esse seruos: quod quidē nos, etiam si non probet, facilè cōcedimus: magnā deinde huius capitis partem in eis vituperandis consumit, qui tabulis, signis, & piscibus delectantur: perinde quasi hæc ea sint, quæ hominem improbum & seruum efficiāt. Sed tandem ad auaros reuertitur, qui cupiditate pecuniæ nullam

condit

cõditionem recusant durißimæ seruitutis: qui sine controuersia non tantùm serui sunt, sed etiam nequißimi serui: quin etiam ambitiosos & nocentes, quibus magnus exoritur ex cõscientia peccatorum timor, seruos esse nequißimos cõcedimus. Sed quæ causa est, vt eam eloquẽtißimi viri L. Craßi orationem vituperes Cicero, qui populum Ro. rogabat, vt se ex seruitute eriperet, his quidem verbis: Eripite nos ex seruitute, nolite sinere nos cuiquam seruire, nisi vobis vniuersis, quibus et possumus, & debemus. Quæ causa, inquam, est, cur hanc orationem vituperes? Quia, inquit, dominum mutare, non liber esse vult. Quid ergo? vis omnes ita liberos esse, vt nemini seruiant? an non vides quantam rerum omnium confusionem inducas? ita enim neq; filius patri, neq; vxor marito, neq; populus magistratibus obediet, ne in seruitutem incidat. Sed nimirum, Cicero, ludis in ambiguis, & verba tantum consectari videris, rem autem ipsam negligere. Nam quis nõn intelligit, aliam animi, aliam corporis esse seruitutem? & aliam qua uitiorum serui dicuntur homines, aliam qua legum, populi, senatus, magistratuum serui quodam modo vocantur? potest enim vir probus animo liber esse, corpore autem seruus: & præterea debent omnes (vt ais) quod est turpe non reddere, & in libertatem à vitijs sese vindicare: non tamen ideo quisquam debet in libera ciuitate, qualis erat Roma populi

quoddam imperium detrectare, neq; Senatus, neque eorum, qui sunt in aliquo magistratu, præsertim si nihil imperent, quod ab honestate sit alienum: non enim idem est, vitijs, & populo Rom. seruire. Quamobrem eos reprehende Cicero, qui vitiorum serui sunt, qui virtutem omnem atq; honestatem negligunt, qui libidini atq; turpitudini parent: nam isti rectè reprehenduntur: L. autem Crassum cur accusas? qui se non turpitudini, non dedecori, sed populo Romano, hoc est ei populo, cui tu semper seruiuisti, seruire velle dicit. Atq; hoc quidem ita commodè facere potest, vt animi sui libertatem semper inuiolatam conseruet, modò se nulli vitio mancipauerit. Hîc dicendi finem fecit Octauianus, cuius orationem omnes, & præsertim Marcus, mirificè laudauit: quòd tam ingeniosè verba fecisset, vt & quæ verisimilia essent Ciceroni concessisset, & tamen eum multis in locis errasse non leuiter ostendisset: quodq; ea rerũ varietate suam orationem illustrasset, vt quamuis acutè disputasset, magnam tamen in dicendo, perpetuamq; oblectationem auditoribus attulisset. Tum Antonius, Illud magis, inquit, admiratus sum in Octauiano Marce, quòd cũ ita exorsus fuisset, vt quid diceret habere non videretur, tamen ita postea copiosè locutus est, vt me certè meæ facultatis in dicendo pœniteret. Gaudeo, (inquit Octauianus) vt Hector ille Neuianus laudari

me à

me à laudatis viris, quamuis à vobis istas laudes sanè non sperabam: satis enim me assecuturum initio putabam, si non omnino malè dicere viderer. Nunc eo maior est lætitia mea ex laudatione vestra, quò minus sperata fuit. Sed quid ait Maioragius noster. Ego'ne (inquam) te ingeniosum, & acutum adolescentem, quod semper iudicaui: non ita tamen, vt speres à te refutatum esse Ciceronem. Tuæ igitur, inquit Cardanus, erunt partes, Ciceronis sententiam tueri. Verùm iam mihi tempus esse videtur, vt exurgamus: et quoniam satis animos oblectauimus, suam etiam corpori temporis partem tribuamus. Vnum autem tantum caput superesse video, quod (vt spero) Constantinus hodie subuertet.

M. ANTONII MAIORAGII ANTIPARADOXON LIBER SEXTVS.

*



HAC *ab omnibus approbata sententia, nos ad paratum prandium, in gynæcæo, quo in loco pridie eius diei Cardanus disputauerat, alacres propter summam loci amœnitatem contulimus: cumq; ibi multas*

horas varijs de rebus inter nos collocuti fuissemus, inclinato iam in pomeridianum tempus die, Velim (inquit Cardanus) vt hæc nostra disputatio perficeretur, quoniam in vrbem redire hodie vesperi mihi necesse est. Itaq; tempus mihi videtur Constantine, vt in arenam descendas, & sapientem illum Stoicorum, quem solùm diuitẽ esse Cicero vult, suis diuitijs spolies. Nam te diuitem esse scimus omnes, quamuis eo modo sapiẽs non sis, quo Stoici sapientem fingunt. Præstabo (inquit ille) quod pollicitus sum: sed scito Cardane, me ferè animo cecidisse, postquam copiosam, & elegantem Octauiani orationem audiui. Nam præterquam quòd me video nullo modo parem in dicendo illi esse posse, multa etiam dixit, quæ ego in hac mea parte dicere præmeditatus fueram: quæ si repetere voluero, ineptus videar: sin relinquo, vereor ne oratio mea, in quā de Diuitijs locuturus sum, inops, atq; adeo mendica esse videatur. Verùm tamen quo ad facultas mea feret, enitar, ne cùm cæteræ partes huius disputationis benè peractæ sint, extremus hic actus tanquam ab inerti poëta neglectus esse videatur. Quid igitur ait extremo in Paradoxo Cicero? Solùm sapientem esse diuitem. hoc sanè ab eodem fonte manauit, vnde cætera omnia, quæ hoc in opere disputantur: itaque non difficilius, vt spero, subuertetur, quàm cætera subuersa sint. Primùm igitur ostendam, Paradoxon hoc.

esse falsum, & alienum à Socratica doctrina. Deinde Ciceronis argumenta nullius esse ponderis ad id quod proposuit ostendendum. Atq; vt ab ipso Diuitiarum nomine proficiscatur oratio mea, nemini dubium esse potest, quin eo nomine res illæ tantùm (si propriè loqui volumus) intelligantur, quæ ad vsum corporis necessariæ sint. Et hoc est, quod nono de Repub. libro Plato dixit: Diuitias corporis gratia constitutas esse, corpus autem ipsum animi gratia. Et ipse Cicero primo de Officijs, Expetũtur autem, inquit, diuitiæ tum ad vsus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. Et in libro de Amicitia, Cæteræ res quæ expetuntur, inquit opportunæ sunt singulæ rebus ferè singulis, diuitiæ vt vtare, opes vt colare, honores vt laudere. Quin etiam hoc in Paradoxo, quasi veritate coactus, quòd scilicet non ad animum, sed ad corpus diuitiæ referantur, diuitem ita definit, vt eum dicat esse, cui tanta possessio sit, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus sit. Quòd si quis maxima virtute præditus sit, vt cæteris omnibus sapientia præstet, tamen nisi adsint aliquæ diuitiæ, nullo modo liberaliter viuere poterit. Atque ideo quoniam sine diuitijs commodè nemo viuere potest, eas pleriq; viri doctißimi magnis laudibus extulerunt: adeo vt Theognis dicere sit ausus, Etiam si quis Rhadamanti sapientiam, & Sisyphi scientiam exuperaret, nullum tamen earum virtutum illi vsum

fore, nisi adessent diuitiæ. Et Euripides, Diuitias ideo pretiosissimas esse dixit, quoniam maximam hominibus potentiam præstant. Quod idem affirmat etiam Theognis. Nam Hesiodus, atq; Timocles, Sanguinem & vitam hominibus esse diuitias asserunt. Magnus autem orator ille Demosthenes, summa quadam cum orationis grauitate clamat, atq; aperta voce testatur, Necessarias esse pecunias, & sine illis nihil omnino geri posse quod præclarum sit. Quin etiam interrogatus aliquando Simoniades, vtrum magis eligendum esset, Diuitias'ne possidere, an Sapientiam? Nescio, inquit: Sapientes enim ad diuitum ianuas frequenter accedere video. Sed nusquam sanè clarius expressum legi, quantæ sint vtilitatis diuitiæ, quàm apud Stobæũ, qui plurimas ex Græcis autoribus sententias, & præclara dicta collegit: ibi enim Pluto Diuitiarum Deus inducitur, qui pluribus verbis potẽtiam suam extollit, & iactat se solum hominum necessitatibus subuenire, atq; illas emendare, cupiditates explere, damnis resistere, curare corpus, animo gratificari, in pace splendescere, militiæ sumptus suppeditare, ægrota corpora planè confirmare, singulis anni temporibus adiumenta reperire: nam hyeme calorem, æstiuo tempore frigus præstare: familias amplificare, magnarumq; cognationum successines: nuptias præterea magnificè præparare, liberorum generationem promouere. Quid

autem,

autem, inquit: an non Deorum immortalium templa solus ego exornare soleo? an non ciuitates omnes opera mea pulchriores efficiuntur? opera mea sunt mœnia, portus, classes: ego profundos amnes pontibus instruo, terrasq; diuulsas atq; dissitas facilè coniungo, mea præsentia negotiatores indigent, ex ærario meo sumptus agricultura sibi depromit, nihil enim ex se terra producit, nisi prius aliquid à me receperit, vnde enim aliunde accipiat, cùm ego solus omnia possideam? neq; est ex alijs omnibus quicquam cui non ego plurimum commoditatis impertiam: hominũ enim formam atq; pulchritudinem ornamentis meis non mediocriter augeo, disciplinis omnibus præceptores exhibeo. vnde autem sibi mulieres ad lanificium vellera comparare possunt, vnde arma viri? Ebur, aurũ, cæteraq; omnia, quibus vel Deorum simulachra conflantur, vel quæ in templis reponuntur, mea sunt: propter me ciuitates magnæ sunt, propter me regna potentiora. Ego dies festos cum iucunditate celebro, mihi mensa semper est hospitalis, à me prompta beneficia proficiscuntur, à me remunerationes amplissimæ: quicunq; me possidet, nõ solùm ipse fortunatus vitam agere, sed alijs etiam fortunas suas communicare potest. Ego artes omnes meliores efficio, quoniam eis magnam mei spem atq; expectationem concito: fouentur enim mercedis magnitudine, quam illis suppeditare soleo. Atqui tu certè

ſumme Iupiter diuitiarum vſum mortalibus neceſſarium effeciſti: corpus enim eis dediſti, quod non vt reliquis animantibus pilis ac pellibus munitum eſt, ſed omnino veſtibus indiget: deinde non alimentum eis herbas, neq; cætera id genus, quæ ex terra ſua ſponte gignuntur produxiſti, ſed aliquid ad victum quotidie coemendum, atq; præparandū eſſe voluiſti. Idem ipſe domos conſtrui, & ciuitates habitari neceſſitate quadam conſtituiſti: morbis quoq; tentātur hominum corpora, quibus ſanandis pecunia opus eſt. Cur igitur non me felicem vocas, cùm per me rerum omnium vſibus fruaris? Hæc ſunt quibus veriſſimè Pluto gloriatur, qui ſolus verè diues, quamuis non ſit ſapiens, etiam ex Stoicorum ſententia vocatur. Nam ſecundo de natura Deorum Cicero Stoicorum ſententiā ſecutus, ait: Diti, qui Græcè Pluto dicitur, ideo terrenam omnem vim, atq; naturam eſſe dedicatam: quoniam diuitiæ omnes è terris oriantur, & in terras recidant. Quod etiam in Cratylo Plato affirmat, cuius hæc verba ſunt: Plutonē vocant quaſi diuitiarum datorem, quoniam diuitiæ ex terræ viſceribus eruūtur. Quæ cùm ita ſint, quid in mentem venit Stoicis iſtis nominum captatoribus, vt à propria ſignificatione verba transferentes, in ſapiente ſuo, qui nuſquam reperitur, vt Octauianus egregiè docuit, omnia eſſe velint? Non enim tantùm diuitem, ſed Regem, ſed Imperatorem, ſed ſolum liberum,

ſolum

solum honoratum, solum rerum omnium opificem optimum sapientem esse dicunt: vt rectè luserit Horatius in eum, qui dixerat, Sapientem regum esse regem:

– Vellunt (inquit) tibi barbam
Lasciui pueri: quos tu nisi fuste coërces,
Vrgeris turba circum te stante, miserq́;
Rumperis, et clamas, magnorum maximè regum.

Sed certè illud perspicuum est, quòd si propriè loqui volumus, vt sibi ipse cõtradicat Cicero necesse est. Nam in primo Paradoxo diuitias in bonis non esse numerandas persuadere conatur: quippe quæ neque meliorem, neq; laudabiliorem virum efficiant. In hoc autem extremo, solùm sapientem esse diuitem vult. Ita fit, vt quoniam omnia, quæ veræ bona sunt, sapiens poßidet, in veris bonis diuitiæ numerãdæ sint. Sed dicent aliqui, in primo capite de iis, quæ propriè diuitiæ dicũtur, verba fecit: hoc autẽ loco de animi diuitijs. Quid igitur tibi faciam Cicero? si nouo quodam more atq; inusitato cum Stoicis loqui velis? nam ego Socratem, Platonem, Aristotelem, quos vehementer autores sequor, non ita loquentes video: sed quoties de Diuitijs verba faciunt, eas intelligunt, quæ ad vsum corporis comparari solent, quas qui poßident, diuites ab eisdem appellantur, etiam si minimè sapientes sint. Quæ sint autem veræ diuitiæ, primo de Repub. docet Aristoteles: nam ibi diuitiarum duo esse genera tradit, quorum alterum

natur

naturale sit, alterum artificiosum: quæcunq; enim in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia creari existimat. Itaq; agriculturam, pastoralem artem, venationem, piscatũ, aucupium, cæteraq́; id genus, ex quibus vitæ commoditates, opportunitatesq́; capiuntur, diuitias naturales appellat. Et certè, inquit, his veræ diuitiæ contineri videntur. Alterum autem genus diuitiarum est in pecunijs, hoc est in nummis, qui non ad vsum corporis adhibentur, sed in rerum commutationibus, hoc est emptionibus, & venditionibus plurimũ valent: qua quidem (inquit) arte factum est, vt diuitiarum, & possessionum, neq; modus vllus, neq; finis esse videatur. Diuitiæ igitur naturales certæ sunt, atq; definitæ, quoniam ad vsum tantùm corporis accommodantur, non aliter atq; instrumẽta quædam ad vsum suum. Artificiosæ verò diuitiæ sunt eiusmodi, vt qui eis deditus sit, nunquam expleri aut satiari possit. Vnde mater omnium malorum (vt eam Bion appellare consueuerat) nata est Auaritia. Iure igitur optimo damnatur eorum cupiditas, qui propter pecuniam nullum quæstum turpem putant: qui quotidie fraudant, decipiunt, auferunt, eripiunt, quoniam non ad vsum vitæ necessarium quærunt diuitias, neq; illas quæ veræ diuitiæ nominantur. Quòd si vera est Aristotelis sentẽtia, ij certè verè diuites appellari possunt: non qui magnum pecuniarum numerum congestum

habent,

habent, vt vulgus existimat: neq; qui cœlo & terra frui possunt & sapientes sunt, vt Stoici nugantur, de quibus in epistola quadam ad Trebatium ita scribit Cicero: Ballus mihi confirmauit, te diuitem futurum: " id vtrum Romano more locutus sit, benè nummatum " te futurum: an quomodo Stoici dicunt, omnes esse diuites, qui cœlo & terra frui possunt, postea videro. Sed " ij, qui res eas posident, quæ sibi ad vsum vitæ necessariæ esse videantur: hi (inquam) verè diuites appellantur, quos in hoc Paradoxo describit rectè Cicero, cùm se probare putet solum sapientem esse diuitem: de qua re postea diligentius verba faciemus, cùm Ciceronis argumenta discutiemus. Nunc autem tantum declaratum sit, duobus modis hominem posse diuitem appellari: vel, vt vulgò existimant, qui pluribus pecunijs, & possessionibus abundat: vel, vt Aristoteles, & reliqui sapientes credunt, qui veras diuitias posidet: hoc est, ea quæ ad vsum vitæ accommodantur, ex quibus victus & vestitus constat: atq; hic solus verè diues nominatur, quæ quidē etiam apud antiquos Latinos appellatio fuit, vt ij tantùm diuites vocarentur, qui vel agros, vel pecudes posiderent: quod Ouidius in Fastis attestari videtur his quidem verbis:

Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.

Iam igitur inuenimus eum, qui verè diues sit; nempe,

qui

qui tantas habeat facultates, ut ei ad victum & vestitum nihil desit. Videamus nunc, an solus sapiens sit eiusmodi. Quo in loco possum à Cicerone iure optimo petere, an sapientia sit ad corporis usum necessaria? Quòd cùm mihi responderit, ad animum tantùm, non ad corpus sapientiam pertinere: statim contra eum concludam, nihil igitur sapientiæ cum diuitijs, neque quicquam sapienti cum diuite est: quoniam ad corpus diuitiæ, ad animum sapientia refertur. Quòd si dicat, eundem & sapientem & diuitem esse posse: quoniam nihil prohibet, eum qui sapientiam adeptus est, etiam ea poßidere, quæ ad usum vitæ necessaria sint. Id facilè concedam: sed non tamen ideo sequetur, ut solus sapiens diues sit: quoniam hæc inter se distingui, atque separari possunt. Sunt enim quamplurimi verè diuites, quibus nihil ad victum atq; vestitum deest, et qui nullas amplius pecunias quærũt, qui tamen sapientes non sunt, sed stulti potius, atq; insipientes. Contrà verò facilè fieri potest, ut aliquis magna sapiẽtia præditus sit, & tamen nihil habeat unde vitam sustentare poßit: quin potius fame, atq; siti laboret, & nihil illi sit, quo suum à frigore corpus defendat. Quòd si vera esse hæc Ciceronis sentẽtia, neceßitas cogeret, ut etiam vicißim hæc ratio retrò commearet hoc modo: Solus sapiens est diues: ergo quicunq; diues est, ille etiã est sapiens, ut si quis dicat, solus homo ridet: necessariò sequit

ſequitur, vt quodcunq; rideat, illud ſit homo. Cùm enim ſolum ſapientem eſſe diuitem dicimus, alios omnes à diuitijs expellimus: itaq; fit, vt quicunq; diuitias poſſidet, eum inter ſapientes numeremus: perinde quaſi diuitiæ ſint effectrices ſapiētiæ, quas in octauo de Rep. Plato plurimum à virtute diſcrepare tradit, cuius hæc verba notauimus: Ita virtus à diuitijs diſcrepat, quaſi vtraq; in lance ſtateræ ſint poſita, ſemperq; in contrariam partem declinent. At verò quinto de legibus, idem Plato non ſolùm ſapientem (quod ait Cicero) diuitem eſſe ſolum non vult: ſed neq; etiam valde diuitem bonum virum eſſe poſſe oſtendit. At qui (inquit) honeſtè ſumptum facit, & iuſtè ſolùm acquirit, neq; facilè diuitijs excellet vnquam, neq; premetur inopia. Rectè itaq; ſermo noſter aſſerit, valde diuites bonos viros non eſſe. Quòd ſi boni non ſint, felices quoq; non erunt. Ad Dionis autem propinquos atq; amicos ſcribens, quadam in epiſtola, Diuites, inquit, beatos appellare, ſermo amens eſt. Non igitur ſapientiam afferunt diuitiæ: ſed potius (vt ait Ariſtophanes) tanquam improbus quidam medicus, cùm ad nos videntes & ſanos acceſſerint, ſtatim occæcare ſolent. Atque hac de cauſa dixit Euripides, Res quidem grauis eſt et mala, ſtolidum eſſe, atq; improbè viuere: ſed quæ tamen diuitibus ſit innata. Sed quæ huius rei cauſa eſt? an quia cæcæ diuitiæ, cùm eius conſuetudinē habent, ipſi quoq; mentem

mentem propter fortunas occæcatam habẽt? Nec malè sanè dixit Socrates, Diuitiæ non tam honestati, quàm improbitati seruiunt: quoniam hominum ignauiæ, atq; socordiæ licentiam parant: & iuuenes ad voluptates instigare solent. Sed hæc sanè vitia (decet enim ingenuè loqui) non in ipsis diuitijs sunt, sed in hominũ animo deprauato. Nam, vt Elenchorum secũdo rectè ait Aristoteles, diuitiæ simpliciter, ac per se, bonæ sunt: sed insipienti homini, qui illis vti nesciat, non amplius bonæ, verùm malæ potius efficiuntur. Itaq; si dixisset Cicero, Solum sapientem rectè diuitijs vti, fortasse tolerari potuisset, quoniam in eo: quod rectè facit, nõ immerito quilibet sapiẽs appellari potest. Sed cùm solum sapientem velit esse diuitem: non video, quomodo hoc defendi posit. Quòd si viderem eum de bonis tantùm animi verba facere, & diuites eos solos appellare, qui maxima virtute, atq; honestate præstarent etiam si nullas omnino diuitias posiderent: impropriè quidem eum locutum fuisse iudicarem: sed tamẽ intelligerem, ab eo diuitias non eas appellari, quæ ad vsum corporis necessariæ sunt, sed quæ animum bonis moribus exornant. Video enim hoc & à Latinis, & à Græcis scriptoribus aliquando fieri, vt diuitiarum nomen ad ea quæ sunt animi bona transferant: vt in primo de Oratore Cicero ipse, In oratione Crasi, inquit, diuitias ac ornamẽta eius ingenij per quædam inuolucra, atq; integum

tegum

tegumẽta perſpexi. Et Ouidius de Triſtibus ſecũdo:

Diuitis ingenij eſt, ingẽtia Cæſaris acta Scribere.

Et Plato ſeptimo de Repub. libro: In ea ſiquidẽ ſola, inquit, verè diuites dominabuntur: non auri dico, ſed cuius oportet virum beatum diuitem eſſe, vitæ probæ, atq; prudentis. Atq; ex hoc fortaſſe loco (vt opinor) Cicero putauit, ſolum ſapientem à Socrate diuitem appellari: nec vidit hanc alluſionem quãdam eſſe ad id, quod paſſim fieri ſolet. In omnibus enim ferè ciuitatibus ditiores dominari ſolent. Hac de cauſa dixit Plato: Volo vt hæc vulgaris conſuetudo immutetur in ciuitate mea. Nam quemadmodum in alijs diuites dominantur, hoc eſt qui magnas, & amplas poſſeſſiones habent: ita in ciuitate mea diuites quidem dominabuntur: ſed non auri, neq; argenti diuites, verùm earum rerum, quæ beatum hominem efficiant, quæ rectè animi diuitiæ poſſunt appellari. Verùm Cicero paſſim hæc in toto capite confundit, vt nunc de corporis, nunc de animi diuitijs loquatur. Itaq; nullo modo poteſt id quod vult efficere. Nam cùm diuitem eum eſſe definiat, cui tanta poſſeſſio ſit, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus ſit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Hæc certè ad corporis diuitias oratio pertinet. Quare plures eiuſmodi diuites reperiri poterunt, qui nequaquam ſapientes ſint. Neq; enim hæc ratio concludit, Contentus eſt ad liberaliter viuẽdum,

nihil appetit, nihil optat amplius: ergo ſapiẽs eſt. Neq; hæc eſt vera ſapientis definitio. Alioquin hac ratione plurimi adoleſcentes, atq; adeò pueri ſapientes eſſent. Quot enim ſtulti? quot adoleſcentes? quot pueri reperiuntur, qui de congerendis diuitijs nihil cogitant? qui contenti ſunt ijs quæ habent? nihil appetunt amplius, nihil optant? Sed concedamus ſanè eum eſſe diuitem (non quidem, vt vulgò exiſtimant, atq; vt ipſum verbum propriè capitur, ſed translatione ad animum facta) qui magna virtute atque ſapientia præditus eſt. Quid tibi hæc noſtra cõceßio proderit Cicero? an ideo confectum eſſe putabis, ſolum ſapientem eſſe diuitem? ſit enim diues iſte tuus ſapiens, qui nuſquam reperitur, quoniam etiam à Platone nõnunquam, qui probus vir ſit, & prudenter viuat, diuitem appellari video. Sed eum ſolum eſſe diuitem, non cõcedo. Nam ſi de ijs, quæ veræ diuitiæ vocãtur, quæ ad vſum vitæ neceſſarium pertinent, verba facimus: perſpicuum eſt, ab eis excludi ſapiẽtem: neq; enim eas ſolus poßidet, ſed etiam alij multi, qui nequaquam ſapientes ſunt. Sin autem de animi diuitijs loquamur, quantò quiſq; ſapientior erit, tantò etiam ditior appellari poterit. Verùm ſi tantùm eum ſapientem appellare voluerimus, qui virtutibus omnibus inſtructus ſit, in quem nulla penitus animi commotio cadat, qualem in Tuſculanis ex Stoicorum ſententia depingit Cicero: cùm nullus homo talis ſit,

aut

aut esse posit, ne ullus quidem erit, aut esse poterit diues. Si verò sapientem eum existimemus, qui pro viribus suis sapientiam amplexus, cæteros homines, aut vniuersos, aut plerosq; saltem exuperat: non tamen ille solus diues erit animo, quamuis sit omnium ditissimus: sed etiam omnes alij, quicunq; virtutem atq; honestatem participant, animi diuitias habere rectè dici poterunt. Sed quid multis opus est? cùm satis probari posit, si de animi diuitijs loquamur, eos potius sapientes appellari: qui pauperes sint, quàm qui diuites. Nam si velim ego Paradoxon hoc Ciceronis alio Paradoxo, longè veriori, atq; Christiano tanquam clauum (quod aiunt) clauo trudere: facilè probare possem, solum sapientem esse pauperem. Nam in sacris literis vbiq; ferè diuites ab æterna vita, atq; beatitudine repellūtur, omni virtute spoliantur, inanes dimittuntur: Pauperes verò contrà beati nuncupantur, eis solis æterna fœlicitas, & cœleste regnum promittitur, esurientes veris bonis implentur. Dicuntur autem illi animo pauperes, qui sapientiæ studio, atq; siti, nunquam explentur, aut satiantur: qui se imperitos, atq; insipientes semper existimant: qui nullam discendi occasionē prætermittunt: qualem Socratem fuisse legimus, qui se tantum vnum scire prædicabat, quòd nihil sciret: qui in Apologia sua Sapientiam humanam ait nullius esse momenti, solum autem Deum esse sapientem. Talis fuit Py-

thagoras, Plato, Democritus, Anaxagoras, aliiq́; penè innumerabiles, qui sapientiæ desyderio atq; amore capti, suas ætates in perpetua peregrinatione consumpserunt. Nam de nostris religiosissimis, atq; sanctissimis viris, quorũ maxima fuit copia, nihil dicam: ne sacra (quod aiunt) profanis immiscere videar. Itaq; non alia de causa celebratum apud Græcos illud fuisse prouerbium existimo, quòd sola paupertas sapientiam sortita sit, nisi quia nullus omnino sapiens fieri potest, nisi qui sit animo pauper: quamuis apud Græcos omnis paupertas miris laudibus exornetur: nam eam morũ Magistram esse Menander dixit: & præterea pauperes in tutela Deorum semper fuisse existimatos. Diphilus autẽ, homine paupere nihil fortunatius esse, scriptum reliquit. Quin etiam Altianus in historia sua tradit, pauperrimos fuisse Græcorum optimos, Aristidem Nicomachi filium, Phocionem Phoci, Epaminondam Polymodis, Pelopidam Thebanum, Lamachum Atheniensem, Socratem Sophronisci filium, & Ephialtem Sophonidæ. Sed in hac parte nequaquam longior esse volo, quoniam nõ de corporis, sed de animi paupertate loquimur, quæ vera est sapientia: neq; enim quisquam vllam sapientiæ partem acquirere poterit, nisi prius ea se egere cognoscat; quoq́; magis aliquis sapiens fit, tantò pauperior animo fieri solet: & tunc appellari sapientissimus meritò potest, cùm se pauperrimum

esse

esse cognouerit. Non enim alia de causa Socrates (vt ipsemet fatetur) omnium sapientißimus ab oraculo iudicatus fuit, nisi quia nihil omnino se scire profitebatur, hoc est animo pauperrimum esse. Quòd nisi vererer, ne mihi Maioragius succenseret, mysterium quoddam è Platonis disciplina, quod ab eo nuper didici, vobis patefacere non dubitarem: vt intelligeretis, vnde natus sit amor sapientiæ, neminemq; mortalium posse rectè diuitem appellari. Hîc ego, Nihil est, inquam, quod vereare Constantine, quæcunq; didicisti liberè pronunciare. Licet enim ego soleam ea vocare mysteria, quæ apud Philosophos cum religione nostra conuenientia quodam arcano modo reperio: non tamen eiusmodi ea esse existimo, vt enuntiare nefas sit. Dicam igitur (inquit ille) quod in conuiuio suo Plato scribit de cœlestis amoris ortu, qui nihil aliud est, quàm æternæ pulchritudinis atque sapientiæ desyderium. Ait enim, diuinum hunc Amorem in hortis Iouis, in natali die Veneris, è Paupertate natum esse, cum qua Porus Consilij filius, nectaris ebrius, rem habuerat. Quibus in verbis licet multa mysteria sint, illud tamen solùm patefaciam, quod ad hanc disputationem pertinere videatur: atq; illud primo dicam, Porum nihil aliud significare, quàm rerum omnium pulcherrimarum copiam. Quòd autem Porum velit Plato Cõsilij filium esse: idem est, ac si diceret, Dei filium:

nam Consiliũ pro Deo ipso, etiam apud Theologos nostros, aliquando reperitur, qui Christum Dei filium magni consilij Angelum appellare quãdoq; solent. Est igitur Porus Consilij filius: hoc est, à Deo rerũ omnium pulcherrimarum copia prouenit. Sed hic Porus cum Penia, hoc est cũ Paupertate cõmiscetur, vt Amorem generet. Penia igitur, quæ Paupertas est, nihil aliud apud Platonem significat, vt summis Platonicorum placere video, quàm mentem eam, quæ diuinæ illius copiæ particeps fieri concupiscit: quæ cùm Porũ videt, hoc est diuinas diuitias, mirifico statim eius amore capitur. Nascitur ergo sapientiæ studiũ ex eo, quòd mens nostra paupertatem suam agnoscit, & in Deo bona omnia esse intelligit, quorum particeps fieri vehementer exoptat: quoq; magis eorum bonorũ amore inflammatur, tãtò magis virtuti, atq; honestati dat operam, vt eis poßit aliquando perfrui. Sed ea bona nemo, nisi qui sapiens esse incipiat, agnoscere potest, neq; desyderare omnino. Quò fit, vt iure optimo solus sapiens pauper appellari poßit: quoniam sicut ij, qui se corpore pauperes esse cognoscunt, & ea sibi deesse, quæ ad vsum vitæ necessaria sunt, semper habere desyderãt: ita qui vident animũ suum diuina illa sapientia ad benè beateq; viuendum indigere, ad eam acquirendam omni studio cõtendunt. Nam (vt argumẽto Ciceronis vtar) cui quæsito opus sit, nemo vnquam hunc verè dixerit

diuit

diuitem: est enim diuitiarum animi fructus in copia, copiam autem declarat satietas, quam quoniã in hac vita sapiens nunquam assequitur, quippe qui nunquam discendo, atq; proficiendo, studium sapientiæ remittit, nunquã omnino, dum viuet, est futurus dives. Improbi autem, atq; insipientes, qui vera bona non agnoscunt, ea nunquam desyderant, atq; ideo nequaquam animo pauperes appellantur: quin potius se probos, atq; sapientes viros nominari volunt. Hi sunt diuites illi, de quibus in Euangelio legimus, Facilius esse rudẽtem, atq; funem nauticum per foramen acus transire, quàm eiusmodi diuitem, beatorũ sedes ingredi, atq; æternam consequi beatitudinem. Sed iam satis (vt opinor) declaratum est, nulla ratione verùm esse, quod ait hoc in Paradoxo Cicero, Solum sapientem esse diuitem. Reliquum est, vt ipsius Ciceronis argumẽta diluamus: nisi fortè quis vestrum, aliquid adhuc hac in parte desyderat. Tunc Octauianus, qui plurimùm Ciceroni fauebat, Rectè sanè, inquit, Constantine & Historicũ, & Philosophum, & Theologum egisse mihi videris, atq; omnem mouisse lapidem, vt Ciceronis sententiam euerteres: quæ tamen (vt mihi quidem videtur) si non omnino vera, tamen omnino probabilis est: siquidem solæ animi diuitiæ, veræ diuitiæ debẽt appellari. De hoc, inquit Constantinus, viderit Maioragius, quem credo nobis omnibus propediem responsurum, cùm vt

Ciceronem suum ab hac nostra accusatione liberet: tum etiam, vt nobis auditoribus, atq; discipulis suis, veritatē aperiat: atq; doceat, quibus in rebus decepti fuerimus. Faciam (inquam ego) Constantine, longeq; libentius posthac vos docebo, quoniam video labores meos non interire: neq; enim vnquam existimassem, quemquam vestrum me præceptore tātum profecisse, vt tam copiosè, & tam argutè, præsertim contra Ciceronem disputare possetis. Sed absolue, quæso pensum tuum, vt in vrbem hodie redire possimus. Tunc ille, Pauca sunt, inquit, quæ mihi restant: nam in superiori disputatione mea ferè omnia dixi, quæ contra hæc Ciceronis argumenta dici possunt. Sed illud mirum mihi maximè videtur, quòd cùm sapientem solum esse diuitem Cicero probare velit, auaritiam tātùm insectatur, perinde quasi qui non sit auarus, ille statim sapiens sit. Perlegite totum hoc ab initio caput ad finem vsq;, & si vitium aliud præter auaritiam damnari videritis, tunc me fallacem, & captiosum existimate. Nam principio diuitem auarum interrogat, an solum se diuitē existimet: deinde ex definitione diuitis probare contendit, eum, qui sit auarus, diuitem non esse: quod etiam nos facilè concedemus, qui veras diuitias ex Aristotelis sententia diximus eas esse, quæ tantùm ad vsum corporis necessariæ sunt: nam postea mihi Cicero præuaricari videtur, cùm ait, Si tibi nihil deesse putas,

putas, nihil curas amplius, satiatus es, aut contentus etiam pecunia, concedo diues es. Quid ais Cicero? an non plurimi & adolescentes, & etiam seniores repe- riuntur, qui nihil sibi deesse putant, quoniam ditissimi sunt, nihil diuitias curant, quin potius eas profundunt, dilapidant, abijciunt: ergo isti tuo iudicio sapientes erunt? quia concedis eos esse diuites, & solum sapien- tem esse diuitem vis? Quid igitur attinet pecuniarum auiditatem solam improbare, cùm videas plurimos ho mines, imò potius omnes prodigos, quãuis diuites sint, nequaquam tamen esse sapientes? Quare disertus sis, & eloquens in eis improbandis, qui nullum quæstum turpem putant, qui quotidie fraudant, decipiunt, spo- liant, testamenta supponunt, cæteraq; infinita flagitia propter inexplebilem habẽdi sitim perpetrant: modò intelligas, te his rationibus quod proposuisti probare non posse. Nõ erat diues Crassus, vt ipse existimabat, quoniam ex suis possessionibus non tantum reficieba- tur, vt ex eo tueri sex legiones, & magna equitum, ac peditum auxilia posset. At erat fortasse diues Lucul- lus, cuius domus (vt scribit Plutarchus) literatis omni- bus patebat: qui post Mithridaticam pugnam nihil amplius curabat, satiatus erat, atq; cõtentus pecunia: non tamen eum tunc sapientem fuisse dices, cùm è po- testate mentis exibat, et insaniebat. Eiusdem generis sunt reliqua omnia argumenta, quare omnia illa facilè

concedo, & praetereo, quae contra me nihil facere videantur. Ad illud venio, quod ait: Haec profectò, quae sunt summarũ virtutum, pluris aestimanda sunt, quàm illa, quae sunt pecuniae. Verißimè Cicero: quis enim, nisi improbus, de hac re dubitare poßit? quare totũ etiam illud concedo, quòd nulla poßeßio, nulla vis auri, & argenti, pluris quàm virtus aestimanda sit: verùm quid haec tibi prosunt ad id probandũ, quod suscepisti? quamuis enim pluris aestimanda sit virtus, quàm pecunia, non ideo tamen efficitur, vt solus sapiens diues sit, aut vt penitus negligenda pecunia sit, quam ipsemet aliquo pretio aestimandã esse confiteris, cùm pluris virtutem aestimari velis. Rursus ad ineptias redis: improbas eos, qui tecta aurea in villis, & sola marmorea faciunt, & signa, tabulas, suppellectilem, & vestem infinitè concupiscunt: quos etiam ego tecum, si volueris, condemnabo. Verùm illud mihi respondeas velim, vtrum censeas eum, qui cùm habeat quae necessaria sunt ad commodè viuendum, neq; plura desyderet, esse sapientem? Hoc sanè tuo iudicio verißimum est. Sed ego certè non video, qua ratione verum esse poßit: nisi fortè eundem stultũ, & sapientem esse posse censeas. Facilè enim fieri potest, vt qui stultus est, habeat omnino quae ad vsum vitae necessaria sint, neque plura concupiscat: qui certè diues dici poterit: tu vide, an hunc etiam sapientem velis appellare. Ego certè nõ

tam

tam insanus sum, vt qui stultus est, eum sapientem exi stimem. Sed virtutem laudas, quæ nec eripi, nec surripi potest vnquam, neq; naufragio, neq; incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur. Rectissimè sanè, poteras etiam ea commemorare, quæ à Platone, & Aristotele, cæterisq; sapientissimis viris de virtute celebrata sunt: nam omnia tibi concederem, & facilè paterer, multa te dicere, quæ nihil ad causam hanc faciant: verùm id quod addis, Qua præditi qui sunt, soli sunt diuites: vide ne fortasse negetur à nobis, quoniam rationes illæ, quæ adduntur, nō tantam vim habent, vt hoc probent: quamuis enim soli virtute præditi res fructuosas, et sempiternas animo possideant: tamen si tanta paupertate premantur, vt nec victum, nec vestitum habeant, eos quomodo diuites appellabis? & si nihil isti tui sapientes habuerint, quomodo suis rebus poterūt esse cōtenti? potest'ne satis esse putare quod est, qui fame cruciatur? qui vestem mendicare cogitur? potest'ne nihil appetere, nulla re egere, nihil requirere, qui nesciat vnde surdo ventri, cùm inanitate laborat, satisfacere possit? an fortasse Stoicas illas sententias eo tempore proferet, atq; inquiet: Tace mi venter, noli cōqueri, quoniam ego diues sum, solus enim sapiens est diues, atq; ego sapiētia sum refertus: quin etiam reges ipsos diuitijs supero, nullus est qui mecū rerum copia contendere possit, nihil mihi

appet

appetendum est, meis rebus me cõtentum esse oportet: nihil est autem meum, nisi quod animo possideo. Hæc ille fortasse dicet: sed interim ieiunus venter, qui non audit verba libenter, latrare non desinet. Quòd si corpus etiam penetrabile frigus adurat, necesse erit vt quãuis sapiens sit, aliquid appetat, aliquid quærat amplius: quare nullo modo diues appellari poterit. Crede mihi Cicero, quamuis rectè concludas, Improbos, & auaros, non modò non copiosos, ac diuites, sed etiam inopes, & pauperes, existimandos esse: nunquam tamen efficies, quin sapiens aliqua re, sicuti alij homines, indigeat: quamuis animo res fructuosas, & sempiternas possideat. Itaq; necessariò concludendum est, Diuitias à sapientia distinctas, atq; separatas esse: quoniam in vsu corporis diuitiæ consistunt, sapientia verò sedem habet in animo. Neque enim negare quisquam potest, tempus huiusmodi posse contingere, in quo sapiens aliquis vir nihil habeat omnino, quo vitam sustentare possit: sed extrema inopia, atq; paupertate prematur: quo sanè tempore diues non erit, quamuis sit sapiens, Quemadmodum igitur sapientes aliqui reperiri possunt, qui minimè diuites sint: ita etiam contrà, diuites inueniri poterunt, qui minimè sint sapientes. Atq; ita tandem concludetur, nequaquam hanc sententiam esse veram, quòd solus sapiens diues sit. Hæc postquam dixisset Cõstantinus, magna omnium approbatio subsecuta

secuta est: & Octauianus, Siccine mecum egisti Constantine? nam initio tuæ orationis, cùm à me multa, quæ tu præmeditatus fueras, dicta fuisse simulasses, quamuis non verebar, ne tibi verba essent defutura, quippe qui tuum nouissem ingenium: tamen (vt ingenuè fatear) sperabam me superiorem abiturũ. Nunc, vt video, nõ tantùm orationem meam adæquasti, sed etiã longo interuallo superasti: quod equidem non molestè fero. Cogit enim me singularis meus in te amor, vt non minus tuæ doctrinæ, quàm meæ faueã. Velim quidem ita esse, inquit Constantinus: sed satis ipse vires meas noui. Nam de amore certè in me tuo nihil dubito: in quo tamen non concedo tibi, vt tu me plus diligas, quàm ego te: verùm de oratione mihi satis illud est, si nõ omnino vobis rudis, aut impolita visa est. Imò verò, inquit Cardanus, ita rectè ambo vos gessistis, vt difficile sit, vter vtri præstiterit, iudicare. His dictis, ad me omnes conuersi, rogare cœperunt, vt cùm primum daretur otium, defendendi Ciceronis prouinciam susciperem. Quod ego liberaliter sanè pollicitus sum: nisi quis eam prius arripuisset. Habes Alciate, quæ tribus illis diebus, quibus in Fannianorum suburbano cum Marco meo fui, disputata fuerunt: quo tempore tu iam annum vnum ius ciuile summa cum celebritate Ferrariæ publicè professus, Mediolanum reuertisti: in quibus quamuis multa ingeniosè, atque acutè

acutè dicta fuisse iudicaui, tamen in eam opinionem discessi, vt crederē, multa etiam esse, quæ refelli haud difficiliter possent. Licet omnino negare non possim, quin Cicero Stoicorum sententiam secutus, nonnulla dixerit, quæ & à Socratis sententia, & à veritate sint aliena.

FINIS.

IVLII SOCCIAGHI
Tetrastichon.

Antiqua ingenio quamuis tibi cesserit ætas,
Par nostræ Tulli non tamen esse potès.
Nam te si iuuenes penitus strauere iocantes,
Quid grauium efficient seria tela virûm?

